DR. F. MANELIS

DE REGIA CHRISTI POTESTATE

AD MENTEM
SANCTI ROBERTI BELLARMINI

VILKAVIŠKIS — — — — — — — — — — 1940

Gerajam Kolegai
Kun. Alb. Žilinskui, Lic.
Reikšdamas pagarbą
Autorius

Vilkaviškis,
26. II. 1940.

DE REGIA CHRISTI POTESTATE
AD MENTEM SANCTI ROBERTI BELLARMINI

„OLIMPIJA“, Vilkaviškis (Lithuania)

FRANCISCUS MANELIS
DOCTOR THEOLOGIAE

DE REGIA CHRISTI POTESTATE

AD MENTEM
SANCTI ROBERTI BELLARMINI

VILKAVIŠKIS — — — — — — — — — — 1940

NIHIL OBSTAT

Vilkaviškis, die 12 mensis Octobris anni 1939

Dr. M. Ražaitis
Censor ex officio

IMPRIMATUR

Nr. 2077

Vilkaviškis, die 12 mensis Octobris a. 1939

† M. Reinys
Eppus Coadiutor

L. S.

BIBLIOGRAPHIA

A. *FONTES*

S. Robertus Card. Bellarminus, *Opera omnia,* tom 6, vol. 8, Neapoli 1856—1862.

Disputationes Roberti Bellarmini Politiani S. I. S.R.E. Cardinalis De Controversiis Christianae Fidei adversus huius temporis haereticos, tom. I—IV:

Controversia I. *De Verbo Dei,* t. I, 23—141.
II. *De Christo Capite,* t. I, 142—298.
III. *De Summo Pontifice,* t. I, 299—540.
IV. *De Conciliis et Ecclesia* (*De Conciliorum auctoritate, De Ecclesia militante toto orbe terrarum diffusa, De notis Ecclesiae*), t. II, 10—140.
V. *De membris Ecclesiae militantis* (*De clericis, De monachis, De laicis*), t. II, 141—345.
VI. *De Ecclesia quae est in purgatorio* (*De purgatorio, De circumstantiis purgatorii*), t. II, 346—410.
VII. *De Ecclesia triumphante,* t. II, 411—557.
VIII. *De Sacramentis in genere,* t. III, 1—148.
IX. *De Baptismo et Confirmatione,* t. III, 149—234.
X. *De Sacramento Eucharistiae,* t. III, 235—576.
XI. *De Sacramento Poenitentiae,* t. III, 577—745.

XII. *De Extrema Unctione, Ordine et Matrimonio,* t. III, 746—860.

XIII. *De gratia generi humano in primo parente collata,* t. IV 1, 1—45.

XIV. *De amissione gratiae et statu peccati,* t. IV 1, 46—255.

XV. *De reparatione gratiae:*

De gratia et libero arbitrio, t. IV 1, 256—459.

De iustificatione impii, t. IV 1, 460—635.

De bonis operibus in particulari, t. IV 1, 636—728.

—*Responsio ad librum quendam anonymum, cuius titulus est: Avviso piacevole dato alla bella Italia da un Nobile Giovane Francese sopra la mentita data dal Serenissimo Re di Navarra a Papa Sisto V,* t. IV 2, 1—24.

—*De exemptione Clericorum,* Parisiis 1599; t. IV 2, 25—35.

—*De translatione Imperii Romani a Graecis ad Francos, adversus Matthiam Flaccium Illyricum, libri tres,* Antwerpiae 1589; t. IV 2, 36—103.

—*Refutatio libelli de cultu imaginum, qui falso Synodus Parisiensis inscribitur,* t. IV 2, 104—108.

—*De indulgentiis et iubilaeo,* Coloniae 1599; t. IV 2, 109—171.

—*Iudicium de libro quem Lutherani vocant „Concordiae" (Brevis apologia Rob. Bellarmini pro libello suo de libro Concordiae lutheranorum),* Ingolstadii 1585; t. IV 2, 173—207.

—*Recognitio librorum* (suorum) *omnium,* Romae 1607, Ingolstadii 1608; t. IV 2, 229—256.

—*Tractatus de potestate Summi Pontificis in rebus temporalibus, adversus Gulielmum Barclaium,* Romae 1610; t. IV 2, 257—342.

—*Apologia Roberti Bellarmini S.R.E. Cardinalis pro responsione sua ad librum Jacobi Magnae Britanniae Regis, cuius titulus est: Triplici nodo triplex cuneus, in qua Apologia refellitur*

praefatio monitoria regis eiusdem, Romae 1609; t. IV 2, 345—413.

—*Responsio Matthaei Torti presbyteri et theologi papiensis ad librum inscriptum: Triplici nodo triplex cuneus,* Romae 1608; t. IV 2, 416—451.

—*Risposta del Cardinale Bellarmino al trattato dei sette Teologi di Venezia sopra l'Interdetto della Santità di nostro Signore Papa Paolo Quinto,* Romae 1606; t. IV 2, 455—475.

—*Risposta del Cardinale Bellarmino ad una lettera senza nome di autore sopra il breve di censure della Santità di Paolo Quinto publicate contro i signori Veneziani,* Romae 1606; t. IV 2, 479—497.

—*Risposta ad un libretto intitolato: Trattato e Risoluzione sopra la validità delle sconuniche di Giov. Gersone,* Romae 1606; t. IV 2, 499—507.

—*Risposta... alla difesa delle otto Proposizioni di Giovanni Marsiglio Napoletano,* Romae 1606; t. IV 2, 511—521.

—*Risposta alle opposizioni di F. Paolo Servita contra la Scrittura del Cardinale Bellarmino,* Romae 1606.

—*Conciones habitae Lovanii,* Cameraci 1617; t. V 2, 1—596.

—*De Scriptoribus ecclesiasticis,* Romae 1613; t. VI, 1—142.

—*Dottrina cristiana breve,* Romae 1597; t. VI, 143—153.

—*Dichiarazione più copiosa della dottrina cristiana,* Romae 1598; t. VI, 163—204.

—*De ascensione mentis in Deum per scalas rerum creatarum,* Romae 1615; t. VI, 205—266.

—*De aeterna felicitate Sanctorum,* Romae 1616; t. VI, 267—326.

—*De gemitu columbae,* Romae 1617; t. VI, 327—396.

—*De septem verbis a Christo in cruce prolatis,* Romae 1618; t. VI, 397—444.

—*De arte bene moriendi,* Romae 1620; t. VI, 445—500.

—*De officio principis christiani libri tres ad serenissimum principem Wladislaum Sigismundi III Poloniae et Sueciae regis filium,* Romae 1619; t. VI, 501—618.

—*Exhortationes domesticae,* Bruxellis 1899.
—*Examen ad librum falso inscriptum: Apologia Cardinalis Bellarmini pro iure Principum... auctore Rogero Widdringtono, Catholico Anglo,* Romae 1612.
—*Explanatio in Psalmos,* ed. R. Galdos S.I., Romae 1931—1932.
—*Liber de locis communibus,* continens tractatum primum de R. Pont., ed. S. Tromp S. I., in *Textus et Documenta,* series theol. 17, Romae 1935.
Le Bachelet, X. M. S. I., *Bellarmin avant son Cardinalat,* Paris 1911.
—*Auctarium Bellarminianum: Supplément aux Oeuvres du Cardinal Bellarmin,* Paris 1913.

B. *AUCTORES*

Abulensis [seu Alfonsus Tostatus hispanus, episc. Abulensis (1400—1455)], *Commentaria in Scripturam S. cum indice et opusculis 14,* Venetiis 1596.
Alvarus Pelagius (Alvarez Pelayo), O. Min., *De planctu Ecclesiae,* Venetiis 1560.
Arnold, F. X., *Die Staatslehre des Kardinals Bellarmin,* München 1934.
Augustinus de Ancona (Augustinus Triumphus), *Summa de potestate ecclesiastica,* Romae 1582.
Barclay Gulielmus, *De potestate Papae. An et quatenus in reges et principes ius et imperium habeat,* Londini 1609.
Bonaventura, S., *Opera omnia.* Opuscula varia theologica, tom. V, Ad Claras Aquas (Quaracchi) 1893.
Brentius (Brenz, Theologus luther.), J., *In Leviticum commentarius,* Francofordii 1542.
Buschbell, G., *Bellarmin,* in Staatslexikon I, 769—771, 5. Aufl. Freiburg im Br. 1926.
Cajetanus, Thomas De Vio O. P., *Epistolae Pauli et aliorum Apostolorum, cum Actis,* Lugduni 1558.
Cappello, F. M. S. I., *Summa Iuris Publici Ecclesiastici ad normam Codicis Iuris Canonici et recentiorum S. Sedis Documentorum concinnata,* Romae 1936.

Carerius, Alexander Patavinus, *De potestate Romani Pontificis adversus impios politicos,* Patavii 1599.

Clemens PP. V, *Exivi de paradiso, Clement.* lib. V, tit. XI de verborum significatione cap. 1, in Corpus Iuris Canonici vol. II, 1193, Leipzig (ed. Fridberg) 1881.

D'Alès, A., *De verbo Incarnato,* Paris 1930. In specie vide theses 32—35: *De Christo Rege.*

De La Brière, Y., *Pouvoir Pontifical dans l'ordre temporel,* in Dict. Apologétique de la Foi cath. IV, 94—115, Paris 1928.

De La Servière, J. S. I., *De Jacobo I Angliae rege cum Cardinali Roberto Bellarmino S. I., super potestate cum regia, tum pontificia disputante* (1607—1609), Paris-Poitiers 1900.

— *La Théologie de Bellarmin,* Paris 1909.

Dieckmann, H. S. I., *De Revelatione Christiana tractatus philosophico-historici,* Friburgi Br 1930. In specie vide pag. 458—461: *De Christo Rege et de regno Christi.*

— *De Ecclesia tractatus historico-dogmatici,* 2 vol., Friburgi Br. 1925.

Driedo, J., *De ecclesiasticis Scripturis et dogmatibus,* Lovania 1533.

Durandus de S. Porciano O. P., *De origine iurisdictionum sive de iurisdictione ecclesiastica et de legibus,* Parisiis 1506.

Finus Adrianus, *In Judaeos flagellum ex Sacris Scripturis excerptum,* Venetiis 1538.

Galtier, P. S. I., *De Incarnatione ac Redemptione,* Parisiis 1926. *De Christo Rege* agitur in thesi XL.

Gemmel, J. S. I., *Zur Staatslehre des Kardinals Bellarmin,* in Scholastik, Vierteljahresschrift für Theologie und Philosophie, hrsg. von den Professoren des Ignatiuskollegs in Valkenburg, IV. Jahrgang, 161—188, Freiburg im Br. 1929.

— *Die Lehre des Kardinals Bellarmin über Kirche und Staat,* ibidem, V (1930), 357—379.

Gregorii De Valentia *Metimnensis e Societate Iesu, Sacrae Theologiae in Academia Ingolstadiensi professoris Commentariorum Theologicornm Tomi IV, in quibus omnes*

quaestiones quae continentur in Summa Theologica D. Thomae Aquinatis ordine explicantur ac suis etiam in locis controversiae omnes fidei elucidantur, Lugduni 1609.

Hugon, E. O. P., *Doctrina theologica de Christo Rege iuxta Encyclicam Pii PP. XI „Quas Primas" et liturgiam novi Festi,* Angelicum Periodicum internationale de re philosophica et theologica IV, fasc. I, 1—18, Romae 1927.

Hurter, H. S. I., *Nomenclator Litterarius Recentioris Theologiae Catholicae,* I, n. 24, pag. 23—25; I, n. 228—229, pag. 273—282; Oeniponte 1892; IV, n. 567, col. 1285—1287, Oeniponte 1899.

Jansenius Cornelius, *Cornelii Jansenii Episcopi Gandavensis Commentariorum in suam Concordiam ac totam Historiam Evangelicam, partes quatuor,* Venetiis 1586.

Joannes PP. XXII, *Extravagantes tum viginti D. Joannis Papae XXII tum communes suae integritati una cum glossis restitutae,* Romae 1582.

Kösters, L. S. I., *Der hl. Robert Bellarmin als Apologet,* in Scholastik VII, 89—91, Freiburg im Br. 1932.

Koch, L., *Bellarmin,* in Lexikon für Theologie u. Kirche II, 126—129.

Laak, H. van, S. I., *Martyres Angli et S. Bellarminus,* in Gregorianum XI, 336 sq., Romae 1930.

Le Bachelet, X. M. S. I., *Bellarmin,* in Dictionnaire de théologie catholique (Vacant—Mangenot) II, 560—599.

Lercher, L. S. I., *Institutiones Theologiae Dogmaticae,* vol. III: *De Verbo Incarnato,* Oeniponte 1925. *De Christo Rege* agitur in thesi 28.

Maldonatus, J. S. I., *Comment. in 4 Evangelia,* vol. 2, Pont-à-Mousson 1595.

Medina, Barth. O. P., *Expositio in tertiam partem D. Thomae usque ad quaestionem 60-am,* Venetiis 1582.

Mendoça, Alf. de O. S. Aug., *Relectio de universali Christi dominio ac regno quod rerum habet et qua Deus et qua homo est,* Coloniae 1603.

Mendoça, Franc. de S. I., *Commentarii in IV libros Regum,* Venetiis 1628.

Meurers, Dr. v., *Das Königtum Christi,* in Pastor Bonus 38. Jahrg., 10—38, Trier 1926.

— *Rundschreiben unseres Heiligsten Vaters Papst Pius XI. über die Einsetzung des Festes Christi Königstag* (Quas primas vom 11. Dezember 1925), 3. Aufl., Trier 1933.

Michel, A., *La royauté de Jésus-Christ,* in Dict. de Théol. Cath. VIII, p. I, 1355—1359.

Navarrus, M., *Martini ab Azpilcueto doctoris Navarri consiliorum sive responsorum libri quinque iuxta ordinem Decretalium dispositi nunc primum in lucem editi,* 2 vol., Romae 1590—1592.

Nicolaus PP. III, *Sexti decretalia* lib. V, titulus XII, capit. III, in Corpus Iuris Canonici. II, 1109, Leipzig 1881.

Noppel, C. S. I., *Das soziale Königtum Christi,* in Stimmen der Zeit 109. Bd. (1925), 241—248.

Pererius, B. S. I., *Commentaria in Danielem Prophetam,* Romae 1587.

Pesch, Chr. S. I., *Praelectiones Dogmaticae,* tom. IV: *De Verbo Incarnato,* pars II: *Soteriologia,* sect. IV, art. III: *De munere regio Christi,* Friburgi Br. 1922.

Pighius, A., *Hierarchiae ecclesiasticae assertio ad Paulum III. libri sex,* Coloniae 1551.

Pius PP. XI, *Litterae Encyclicae „Quas primas“,* in Acta Apostolicae Sedis XVII (1925), 593—610.

Pohle, J., *Lehrbuch der Dogmatik.* Neubearbeitet von Michael Gierens S. I., II. Bd., Paderborn 1932.

Raitz von Frentz, E. S. I., *Vita del Beato Roberto Card. Bellarmino* (Tradotta dal tedesco del P. G. Schio), Vicenza 1923.

— *Les oeuvres ascétiques du B. Card. Rob. Bellarmin,* in Revue d'Ascétique et de Mystique V (1925), 60—70.

Raynaud, Theophilus S. I., *De Attributis Christi,* tom. II, Lugduni 1665.

Rommen, H., *Die Staatslehre des Franz Suarez S. I.,* München Gladbach 1926.

Salmanticenses, *Cursus theologicus,* tom. XVI, tract. XXI:

De Incarnatione, pars IV, Genevae, Parisiis et Bruxellis 1881.

Sasbout, A., *Delphii theologi doctissimi et divinarum Scripturarum apud Lovanienses... Commentar. in Esaiam Prophetam,* Colonia Agrippina 1568.

Scheeben, M. J., *Handbuch der katholischen Dogmatik,* Bd. III, § 273: *Das hierarchische Königsamt Christi und seine Funktionen,* Freiburg im Br. 1933.

Silva-Tarouca, C. S. I., *Dissertatio inauguralis* (de S. Rob. Bellarmini eruditione historica), in Libro Annuali Pont. Univ. Gregor., Romae 1931, 84—89.

Soto, Dominicus O. P., *Comment. in IV lib. Sententiarum,* Venetiis 1584.

Stentrup, F. A. S. I., *Praelectiones Dogmaticae de Verbo Incarnato,*pars altera: *Soteriologia,* vol. II, cap. XI, thes. 137—169: *De regno Christi,* Oeniponte 1889.

Timpe, E., *Die Kirchenpolitischen Ansichten und Bestrebungen des Kard. Bellarmin,* in Kirchengesch. Abhandl. (ed. M. Sdralek), Breslau 1905.

Thomas Aquin., S., *Summa Theologica,* pars 3 QQ. LVIII—LIX, tom. IV, Taurini (Italia) 1932.

— *In Evangelia S. Matthaei et S. Joannis commentaria.* Tomus II: *Evangelium secundum Joannem,* Taurini (Italia) 1925.

— *De regimine principum ad regem Cypri et de regimine Iudaeorum ad ducissam Brabantiae politica opuscula duo,* Taurini (Italia) 1924.

Thomas Waldensis (Thomas Netter) O. Carm., *Doctrinale antiquitatum fidei catholicae Ecclesiae,* tom. I, Venetiis 1757.

Toletus, F. S. I., *Commentarius in Evangelium Joannis,* Roma 1588.

Tromp, S. S. I., *De manuscriptis Praelectionum Lovaniensium S. Roberti Bellarmini S. I., Chronologia et problemata annexa.* Archivum Historicum Societatis Iesu, II, 185—199, Romae 1933.

— *De facultate S. Roberti Bellarmini legendi libros prohibitos*, ibidem, II, 326—328, Romae 1933.

— *Auctarii Auctaria: Addenda quaedam ad Auctarium Bellarminianum Patris X.—M. Le Bachelet*, ibid., III, 132—138, Romae 1934.

— *Auctarii Auctaria* II, ibid., IV, Romae 1935.

— *Tractatus S. Roberti Bellarmini iuvenis de praedestinatione: introductio et editio autographi*, in Gregorianum XIV, 248—268, Romae 1933.

— *Progressus doctrinalis in tractatibus S. Roberti Bellarmini de Praedestinatione*, ibid., XIV, 313—355, Romae 1933.

— *De Bellarmini Indice Haereticorum Treviris reperto*, ibid., XV, 187—214, Romae 1934.

— *Quaestiunculae Bellarminianae*, ibid., XV, 439—442, Romae 1934.

— *Conspectus Chronologicus praelectionum, quas habuit S. Robertus Bellarminus in Collegio S. I. Lovaniensi et Collegio Romano*, ibid., XV, 97—105, Romae 1934.

— *S. Roberti Bellarmini de Communione frequenti* (Conclusio 58ª de Sacramento Eucharistiae), Periodica de re morali canonica liturgica, XXXIII, fasc. V, 209—217, Romae 1934.

— *S. Roberti Bellarmini doctrina de duello*, in Analecta Gregoriana, fasc. 8.

— *De evolutione doctrinae Potestatis indirectae R. Pontificis circa res temporales in Controversiis S. Roberti Bellarmini*, in Acta Congressus Iuridici Internat. (Romae 12—17 Nov. 1934). vol. III, 95—107, Romae 1936.

— *Corpus Christi quod est Ecclesia*. I. *Introductio Generalis*, Romae 1937.

Turrecremata (Torquemada), J. de O. P., *De potestate Papae et auctoritate Concilii Generalis*, Coloniae 1480.

— *Summa de Ecclesia*, Venetiis 1561.

Victoria, Franciscus O. P., *Relectiones theologicae, (Relectio I de potestate Ecclesiae)*, Lugduni 1586.

*** *La sovranità universale di Cristo Re ci suoi Fondamenti teologici*, in La civiltà cattolica, III, 481—491, Romae 1925.

*** *De Operibus S. Roberti Bellarmini Cammentarius*. Commentarii Summa (Pro manuscripto), Roma, Univ. Gregoriana.

INDEX RERUM

CAPUT ALTERUM

DE REGNO CHRISTI SPIRITUALI

CAPUT TERTIUM

DE REGIA CHRISTI POTESTATE DIRECTA IN TEMPORALIA

CAPUT QUARTUM

DE REGIA CHRISTI POTESTATE IN REGNO SUO GLORIOSO

INTRODUCTIO

Cum Christi imperium in omnes gentes negari coeptum esset, cum singuli homines viverent ac si obliti essent Christum esse eorum Regem, tunc Pius Papa XI in Litteris Encyclicis „Quas primas" declaravit doctrinam de regia Christi potestate et instituit Christi Regis festum, ut hoc omnibus remedium sit contra sic dictam temporis pestem. Doctrina de Christo Rege necnon eius potestate in Litteris Encyclicis explicata dedit impulsum novum actioni catholicae ad operam navandam maiore cum diligentia ac studio in confirmando atque propagando regno Christi. Ideoque haec quaestio de Christo Rege eiusque potestate praesertim nostris temporibus est magni valoris. Qua de causa cum cuiuslibet fidelis, tum praecipue praefectorum vineae Domini plurimum intersit intime cognoscere, quid sibi velit Christi Regnum, utiliter huic quaestioni incumbitur; et cum, ipsa Ecclesia teste, ingens thesaurus omnis generis doctrinae catholicae reconditus sit in scriptis SS. Patrum, in praefato quoque studio elucubrando ad eadem saepius recurrendum est. Quo agendi modo possumus certe maiorem hac de re acquirere claritatem, quae prosit ad illam ideam realisandam. Omnibus autem notum est S. Robertum Bellarminum pro *Controversiis* suis divitias sapientiae hausisse e fontibus traditionis catholicae. Bellarminus maximae eruditionis Doctor — quod fatentur cum eius coaevi tum posteriores, cum catholici tum acatholici — in suis operibus saepe appellat SS. Patres. In explicanda quoque doctrina de Christi regno idem Doctor refert sat copiosa testimonia SS. Patrum et theo-

logorum. Quare propinquus est S. Robertus Bellarminus sententiis SS. Patrum etiam in doctrina de Christo Rege necnon eius potestate. En ratio, quae investigationem in doctrinam de potestate Christi regia ad mentem S. Roberti Bellarmini commendet.

Quidam theologi coaevi Bellarmini et posteriores atque recentiorum temporum afferunt unum alterumve locum ex operibus S. Doctoris, quibus locis ipse Christi regnum temporale negare videatur. Quoniam hucusque nemo de Christi regno ad mentem S. Roberti Bellarmini explicite tractavit, eoque ipso nemo quaestionem de Christi regno temporali ac de potestate eius in temporalia scrutatus est, oportet nos hoc studio explicare doctrinam Bellarmini de Christi regno aperireque verum sensum de potestate Christi in temporalia, et quidem hoc ultimum in luce hodiernae doctrinae. Quamvis ad exhauriendam universam doctrinam Bellarmini de potestate Christi regia pertineat quaestio de indirecta potestate in temporalia, eam tamen breviter tantum attingimus agendo de propria Christi potestate spirituali, cum de indirecta potestate apud praefatum Doctorem non pauca ab aliis scripta sint.

S. Robertus Bellarminus nullum scripsit opus, quod systematice nobis proponat doctrinam de Christo Rege eiusque potestate; si non nominamus S. Doctoris brevem compactam expositionem de Christi regno in *Recognitione Librorum omnium.* Nostri ideo studii erit dicta in eius operibus sparsa et ad rem pertinentia colligere atque in synthesim redigere. Hic tamen bene notandum est, quo sub respectu Bellarminus quaestionem de Christi regia potestate attingat, quippe qui respectus attingendi nostram quaestionem habeat grave momentum ad iudicium obiectivum eius sententiae. Tempore Bellarmini autem erant tres diversae sententiae de potestate Papae in temporalia. Auctores *primae sententiae* docuerunt summum pontificem tum in ecclesiasticis tum politicis rebus habere iure divino plenissimam potestatem in universum orbem terrarum. Secundum eorum doctrinam enim adventu Christi omne dominium principum infidelium translatum esse ad Ecclesiam atque residere in summo pontifice ut vicario summi regis Christi; ideoque posse pontificem iure suo regna infidelium donare fidelibus. — *Altera*

sententia, quae potius haeresis quam sententia dicenda est. Huius sententiae auctores docent summum pontificem ut pontificem ex iure divino nullam habere temporalem potestatem, quam ob rem non posse ullo modo imperare principibus saecularibus eosque regnis privare; non licere etiam pontificem accipere ullum dominium temporale ex donatione. — *Tertia sententia* est media, quam defendit etiam Bellarminus, qui docet summum pontificem directe et immediate nullam habere potestatem temporalem, sed solam spiritualem; ratione tamen potestatis spiritualis habere saltem indirecte potestatem summam in temporalibus[1]. Ad hanc sententiam probandam Bellarminus appellat potestatem Christi. Christus vero ut homo, dum in terris vixit, nec voluit, nec accepit ullius provinciae vel oppidi mere temporale dominium; sed summus pontifex, qui Christi vicarius est, repraesentat Christum talem, qualis erat dum hic inter homines vixit. Ergo summus pontifex ut Christi vicarius nullius provinciae vel oppidi habet mere temporale dominium[2]. Et quoniam extremarum sententiarum de potestate summi pontificis auctores probant suas opiniones appellando etiam ad Christi potestatem, Bellarminus dat maximum valorem rectae doctrinae de Christo Rege eiusque potestate. Ex falso enim principio, quod Christus homo fuerit rex temporalis, nati sunt duo contrarii errores. Prioris extremae sententiae auctores deducunt ex hoc tamquam praecipuo fundamento papam, qui est Christi vicarius, esse regem temporalem et pontificem simul. E contra, alterius haereticae sententiae auctores ex eodem principio deducunt reges esse maiores et digniores pontificibus. Christus autem, secundum illos auctores, quia descendit ex tribu regia Judae et familia David, non ex tribu Levi et familia Aaronis, magis rex fuit quam pontifex[3]. Tota quaestio igitur de regia Christi potestate in temporalia proposita erat in quadam connexione cum probanda potestate summi pontificis. Quare Bellarminus attingit in *Con-*

---

[1] *De Summo Pontifice,* lib. 5, cap. 1. Vide etiam S. Roberti Bellarmini *Librum De Locis Communibus* continentem tractatum primum de R. Pontifice, ed. S. Tromp S. I., Romae, P. U. G., 1935, pag. 46—49.

[2] *De Summo Pontifice,* lib. 5, cap. 4.

[3] *Ibid.*

troversiis quaestionem de Christo Rege atque eius potestate in tantum, in quantum necesse erat ad probandam et defendendam intentam doctrinam de potestate summi pontificis. Praeterea quoniam in controversia de potestate summi pontificis quaestio proposita erat ita, velutsi Christus fuisset ex titulo humano seu hereditaria successione rex temporalis eiusdem ordinis ac alii reges temporales huius mundi, non est mirandum, si Bellarminus considerans sic propositam quaestionem negavit Christo ut homini regnum temporale omnemque potestatem temporalem. Qua de causa in investigandis dictis Bellarmini de regno Christi atque in iudicio de vera eius sententia est magni momenti attendere, quomodo quaestio de Christo Rege eiusque potestate proposita sit, et quo sub respectu S. Doctor quaestionem consideraverit.

Doctrinam S. Roberti Bellarmini de regia Christi potestate haurimus ex omnibus eius editis operibus. Afferuntur omnes textus secundum editionem neapolitanam (*Omnia opera,* 1856—1862), excepta *Explanatione in Psalmos,* cuius editio critica facta a Romualdo Galdos S. I. (Romae 1931—1932) adhibetur. Praeterea inter fontes adhibentur: *Auctarium Bellarminianum* (Le Bachelet S. I., Parisiis 1913) et *Bellarmin avant son Cardinalat* (Le Bachelet, Parisiis 1911). — Notandum est Bellarminum afferre SS. Patres, praesertim graecos, non ad verbum ut in editione Migne, tamen quoad sensum nullum discrimen adest.

Agemus igitur primo de Christo Rege in genere apud Bellarminum, postea de regno Christi spirituali, dein explicabimus S. Doctoris sententiam de potestate Christi directa in temporalia, demum dicendum erit de potestate Christi in regno eius glorioso.

CAPUT PRIMUM

DE CHRISTO REGE IN GENERE APUD S. ROBERTUM BELLARMINUM

I

CHRISTUS EST REX EXCELLENTISSIMO MODO

Nomine regis intelligitur omnis princeps, qui ius regium in populum suum habet[1], id est, qui habet potestatem in populum[2], et quae potestas regia non est omnibus communis[3]. Potestas regia igitur est suprema in suo ordine. In S. Roberti Bellarmini scriptis invenimus probationem veritatis Christum esse regem ex utroque fonte Revelationis: tum ex S. Scriptura tum ex Traditione. Qua de causa in hoc capite agimus imprimis de ipso facto Christum regem esse. Postea proponimus Bellarmini doctrinam de Christi Regis potestate legislativa, iudiciaria, executiva. Denique disseremus etiam de titulo seu ratione, vi cuius Christus habet regiam potestatem.

1. **Factum Revelatione constat**

a) *Christum esse regem constat ex S. Scriptura*

Christum esse regem *in Scripturis sacris* passim legimus. In *Vetere Testamento* praedictum est evidentissime Christum futurum regem esse. In Psalmo 2 propheta introducit ipsum Christum loquentem et quasi adversariis suis respondentem: „Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum eius, praedicans praeceptum eius" (v. 6). Christus dicit

---

[1] *Explanatio in Psalmos*, Argumentum Psalmi 66.
[2] *Concio 44 De Dominica 19 post Pentecost.*, pars II.
[3] *De Sacramento Eucharistiae*, lib. 4, cap. 16.

se regem constitutum seu ordinatum esse non ab hominibus, sed a suo Patre, et ideo non timere minas hominum. Christus ordinatus est rex super Sion montem sanctum eius, id est, super Ecclesiam, quae est civitas in monte posita, et cuius typus fuit Jerusalem. Christus Rex, quia Filius est Patris naturalis, accipiet gentes omnes et omnia regna in hereditatem suam et possessionem suam terminos terrae[4]. Sedes Christi Regis in aeternum manebit: „Sedes tua, Deus, in saeculum saeculi; virga directionis, virga regni tui“[5]. Regnum Christi aeternum erit, nullis finibus circumscriptum, atque in eo vigebit iustitia et pax: „Parvulus... natus est nobis, et Filius datus est nobis; et factus est principatus super humerum eius; et vocabitur nomen eius, Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri saeculi, Princeps pacis. Multiplicabitur eius imperium, et pacis non erit finis; super solium David, et super regnum eius sedebit, ut confirmet illud et corroboret in iudicio et iustitia, amodo et usque in sempiternum“ (Is. 9, 6—7). Sunt multae aliae prophetiae de Christo Rege eiusque regno. Daniel 2,44: „In diebus... regnorum illorum suscitabit Deus caeli regnum, quod in aeternum non dissipabitur“. Zacharias 9,9: „Exsulta satis, filia Sion; iubila, filia Jerusalem; ecce Rex tuus veniet tibi iustus, et salvator; ipse pauper, et ascendens super asinam et super pullum filium asinae“. Jeremias 23,5: „Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et suscitabo David germen iustum; et regnabit rex, et sapiens erit, et faciet iudicium et iustitiam in terra“. Ezechiel 37,22: „Et faciam eos in gentem unam in terra in montibus Israel, et rex unus erit omnibus imperans“. Michaeas 5,2: „Et tu, Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Juda; ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel“[6]. Regnum Christi propagabitur in toto orbe terrarum: „Et dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum“[7].

---

[4] *Explanatio in Psalmos*, 2, 6 et 8.
[5] *Ibidem*, 44, 8.
[6] *Recognitio librorum omnium*, in *De Summo Pontifice*, lib. 5, cap. 4.
[7] *Explanatio in Psalmos*, 71, 8.

In *Novo Testamento* etiam invenitur doctrina de Christo Rege. Angelus annuntiavit Virgini: „Dabit illi Dominus Deus sedem David, patris eius; et regnabit in domo Jacob in aeternum, et regni eius non erit finis“ (Luc. 1,32—33). Christus Dominus iam ante mortem rex erat, Christus natus est rex. Merito igitur Magi, cum ab Oriente venissent Jerusolymam, exclamabant: „Ubi est qui natus est rex Judaeorum? vidimus enim stellam eius in Oriente, et venimus adorare eum“ (Mt. 2,2). Ipse Christus professus est coram Pilato se esse regem. Pilatus interrogavit, utrum Dominus noster rex Judaeorum esset. Christus Pilato respondit: „Regnum meum non est de hoc mundo... Dixit itaque Pilatus: Ergo rex es tu? Respondit Jesus: Tu dicis quia rex sum ego. Ego in hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati“ (Ioan. 18,36 sq.). Christus igitur non respondit, non recte sequi ex negativo affirmativum, sed approbavit[8]. Populi voluerunt Christum facere regem: „Jesus ergo cum cognovisset quia venturi essent ut raperent eum, et facerent eum regem, fugit iterum in montem ipse solus“ (Ioan. 6,15)[9]. Christus exaltatus in cruce tamquam in solio regni habet super caput scriptum: „Jesus Nazarenus, Rex Judaeorum“ (Ioan. 19,19). In triumphali ingressu in Jerusalem populus clamabat procedens ante Christum: „Benedictus, qui venit in nomine Domini, Rex Israel“ (Ioan. 12,13)[10]. Christus est potentissimus et supremus rex, quia ipsi data est omnis potestas in caelo et in terra (Mt. 28,18). Ipse est „primogenitus mortuorum, et princeps regum terrae“ (Apoc. 1,5)[11]; qui „solus potens, Rex regum, et Dominus dominantium“ (1 Tim. 6,15)[12]. „Et habet in vestimento, et

---

8 *De septem verbis a Christo in cruce prolatis*, lib. 1, cap. 4; cf. *De Ecclesia, quae est in purgatorio*, lib. 1, cap. 4.

9 *De septem verbis a Christo in cruce prolatis*, lib. 2, cap. 24.

10 *Explanatio in Psalmos*, 87, 16.

11 *Risposta del Cardinale Bellarmino ad una lettera senza nome di autore sopra il breve di censure della Santità di Paolo Quinto publicate contro i signori Veneziani*, propos. 2.

12 *Concio 27 In Festo Annuntiationis B. M.* pars 2.

in foemore suo scriptum: Rex regum et Dominus dominantium" (Apoc. 19,16)[13].

b) *Christum esse regem constat ex Traditione*

De Christo Rege necnon eius regno Bellarminus affert multa *Traditionis* testimonia. Tum SS. Patres, tum theologi, supposito facto, Christum esse Regem supremum totius mundi, explicant eius regni atque regiae potestatis naturam. Cum S. Doctor probat Christi proprium regnum esse spirituale, dat multa Traditionis testimonia. Hac de causa Traditionis testimonia afferemus et explicabimus in decursu inquisitionis nostrae.

2. **Christus Rex est omnium excellentissimus**

Reges temporales primo eliguntur, deinde confirmantur, postremo coronantur. Utique, iis qui nascuntur e regibus regnum patris debetur, donec tamen ad aetatem maturam perveniunt, non possunt esse reges aliorum, sed e contra, ipsi regi ab aliis et gubernari necesse est. Christus autem Rex natus est, et quidem in ipso momento Incarnationis erat iustissimus et sapientissimus rex, sicut praenuntiavit Jeremias (23,5) propheta: „Et regnabit rex, et sapiens erit, et faciet iudicium et iustitiam in terra"[14]. Pater Filium suum non solum primogenitum posuit, sed etiam excelsum prae regibus terrae, id est, principem regum terrae et Regem regum (Apoc. 1,5; 19,16). Ideo omnes reges terrae subiecti sunt Christo, uti Regi altissimo[15]. Christus igitur a primo instanti conceptionis fuit Rex excellentissimus.

Virtutes propriae regis perfectissime inveniuntur non solum in Christo ut Deo, sed etiam in Christo homine. Tales virtutes Christo Regi proprias, ad quarum quasi exemplar reges omnes respicere debent, Bellarminus enumerat septem. — *Prima virtus* regia est probitas vitae et praecipue veracitas in verbis. De Christo Rege autem dicitur: „Qui peccatum non fecit, nec

---

[13] *De Justificatione,* lib. 4, cap. 5.

[14] *Concio 11 de triplici Natali Domini.*

[15] *Explanatio in Psalmos,* 88, 27.

inventus est dolus in ore eius" (1 Petr. 2,22). Christus Rex est fidelis in omnibus verbis suis, id est, verax, non mendax, non decipiens, non fallens, promissa omnia constanter servans[16]. — *Altera virtus* regia et pastoralis est misericordia, quae regibus maxime necessaria est. Dicitur „virtus regia et pastoralis", quia regis et pastoris idem est officium: „regere subditos ne corruant, et erigere eos qui forte corruerunt"[17]. Haec virtus maxime Christo Regi convenit. — *Tertia virtus* regia liberalitas est. Ad reges enim pertinet subditos liberaliter alere ut filios[18]. Reges temporales saepe erga subditos suos sunt parum liberales. Regum famuli per totam vitam laborantes accipiunt vilem mercedem. E contra, Christus est „rex vere liberalis, vere magnificus", qui exempli gratia nihil accipit a bono latrone, nisi pauca verba bona, cum confitetur eum super crucem morientem regem futurum, et ecce quammaximam mercedem accepit. Christi Regis liberalitas manifestatur in omnibus, praecipue tamen in iis, qui faciunt opera misericordiae, quibus promittit regnum sempiternum. Christi Regis maximi liberalitas igitur est in eos, qui serio se dant ipsius servitio[19]. — *Quarta virtus* regia est iustitia, quae necessaria est, ut populi pacem et quietem habeant[20]. Secundum hanc iustitiam Christus Rex dirigit commutationes rerum vel distribuit pro meritis praemia. Huiusmodi iustitiam habiturum Christum Regem praedixit Jeremias Propheta (23,5): „Et regnabit rex, et sapiens erit, et faciet iudicium et iustitiam in terra"[21]. Sed quia iustitia regis iudicantis solet habere annexam asperitatem, ideo Christi institiae, quae perfectissima est, adiungitur mansuetudo. „Est enim Christus mansuete iustus, id est, iustissime iudicat, sed sine morositate, sine asperitate, sine arrogantia; non absterret, sed conciliat sibi subditos". Itaque Christus iustitiae suae mansuetudinem admiscet[22]. — *Quinta virtus* regia est

---

16 *Explanatio in Psalmos*, 44, 6 et 144, 14.
17 *Ibid.*, 144, 15.
18 *Ibid.*, 144, 17.
19 *De septem verbis a Christo in cruce prolatis*, lib. 1, cap. 5.
20 *Explanatio in Psal.*, 144, 18.
21 *De officio principis christiani*, lib. 1, cap. 9.
22 *Explanatio in Psalmos*, 44, 6.

facilem se praebere omnibus accedentibus atque auxilium implorantibus. Haec virtus mirifice convenit Christo, qui ut Deus est omnium rex et habitat in caelis, tamen omnibus facit potestatem secum colloquendi, appropinquat facile omnibus invocantibus eum, etiam humiles respicit iisque dat gratiam[23].—*Sexta virtus* regia est benignitas, qua non solum facile admittit subditos ad audientiam, sed etiam benigne concedit, quae ipsi petunt, modo ea petant, quae deceat regem concedere[24]. Christus vero facile et benigne concedit gratias petentibus, ut v. g. bono latroni dat gratiam introeundi in regnum caeleste ipsius[25]. — *Septima* et ultima *virtus* regia est providentia, qua protegit iustos, ne a multitudine peccatorum opprimantur, et peccatores dissipat ne iustis noceant[26]. Christus vero est rex magnus ratione providentiae et gubernationis, cum sit supremus, absolutus et universalis rector orbis terrae[27].

Cum hae omnes virtutes regiae perfectissime in Christo inveniantur, merito Christus vocari potest „Rex optimus", cuius nos sumus servi et fratres, et coheredes regni amplissimi atque sempiterni[28]; recte dici potest „Rex magnus" non solum Christus ut Deus, sed etiam Christus homo[29]. Nostri Regis magni palatium est caeleste tabernaculum propter maxnificentiam, et idem caeleste tabernaculum propter sanctitatem est templum Christi Regis[30]. Christus vero est „excelsus" ratione divinitatis et „terribilis" ratione potentiae, cum vere sit omnipotens et nihil ei resistere possit[31], et ipse felicissime regnat ita, ut frustra sint persecutiones adversus Christum atque eius regnum[32].

Christi Regis excellentia consistit etiam in eo, quod ipse habet regnum amplissimum, in aeternum duraturum. Reges tem-

---

23 *Explanatio in Psal.*, 144, 19.
24 *Ibid.*, 144, 20.
25 *De septem verbis a Christo in cruce prolatis*, lib. 1, cap. 6.
26 *Explanatio in Psalmos*, 144, 21.
27 *Ibid.*, 46, 2.
28 *De septem verbis a Christo in cruce prolatis*, lib. 1, cap. 3.
29 *Concio 4 super Missus est*, pars I.
30 *Explanatio in Psalmos*, 44, 17.
31 *Ibid.*, 46, 2.
32 *Ibid.*, 2, 1.

porales habent subditos paucissimos, dum Christus subditos habet omnes homines et angelos; est Dominus ipse enim super totum mundum, nam eum „constituit Pater heredem universorum“ (Hebr. 1,2)[33]. Prophetae praedixerunt Christum in suo regno amplissimo in aeternum regnaturum.

II

DE CHRIBTI REGIS POTESTATE LEGISLATIVA, IUDICIARIA, EXECUTIVA

Christo ut vero Regi attribuitur quaedam potestas iurisdictionis, quae complectitur potestatem legislativam, iudiciariam, executivam. Haec enim triplex potestas, secundum Bellarminum, competit omni vero regi. De hac igitur Christi potestate nunc agendum est.

1. **De Christi Potestate legislativa**

a) *Christus habet supremam potestatem legislativam*

Novatores saeculi XVI, ut Lutherus et Calvinus, „in eo ponunt christianam libertatem, ut nulli legi subiecti sint in conscientia, et coram Deo“. Illi putabant se apud S. Paulum legisse solum Vetus Testamentum habuisse leges, in Novo vero Testamento regnare libertatem filiorum Dei. Et consequenter adversarii affirmabant Christum esse solum Redemptorem, non vero legislatorem[34]. Contra quos S. Robertus Bellarminus probat Christum habuisse potestatem legislativam.

Concilium Tridentinum in sess. VI can. 21 definivit Christum hominibus datum fuisse etiam ut legislatorem: „Si quis dixerit, Christum Jesum a Deo homnibus datum fuisse ut redemptorem, cui fidant, non etiam ut legislatorem, cui oboediant; A. S.“[35].

---

[33] *Explanatio in Psalm.*, 88, 27 et 144, 13.

[34] De *Justificatione*, lib. 4, cc. 1 et 5.

[35] H. Denziger — C. Bannwart, *Enchiridion Symbolorum*, edit. 18—20 cur. I. B. Umberg S. I., Friburgi Brisg. 1932, n. 831; cf. *De Justificatione*, lib. 4, cap. 5.

Isaias (33,22) propheta praedixit Christum futurum esse legislatorem: „Dominus... legifer noster, Dominus rex noster ipse salvabit nos". Hoc vaticinium prophetae de Christo legislatore intelligendum esse proprio sensu, non tropice, confirmat nobis Moyses (Deuter. 18,15), cum dicit populo Israel audiendum esse prophetam, quem Dominus suscitaturus sit: „Prophetam de gente tua et de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus: ipsum audies". Hunc vero Prophetam esse Christum scimus ex testimoniis S. Petri (Act. Ap. 3,22 sq.) et S. Stephani (Act. Ap. 7,37), qui Christo, cui oboediendum est, attribuunt eandem potestatem legislativam.Sed apertissime probat S. Paulus Dominum nostrum esse legislatorem, comparando Christum cum Moyse, ut legislatorem cum legislatore. Etenim Apostolus dicit sermonem factum per angelos in manu Moysis, ita firmum fuisse, ut omnis inoboedientia dignam receperit vindictae retributionem. Et inde colligit, magis timendum esse nobis, si sermonem Filii Dei contempserimus (Hebr. 2,1 sq.). Et in alio loco S. Paulus (Hebr. 3,2 sq.) dicit Moysem fidelem fuisse in tota domo Dei tamquam famulum, Christum autem in domo sua tamquam filium; et Christum oboedientibus sibi factum esse causam salutis aeternae (Hebr. 5,9). Oboedientia autem debetur proprie legislatori. Ideoque S. Paulus ita concludit: „Videte ne recusetis loquentem. Si enim illi non effugerunt, recusantes eum, qui super terram loquebatur: multo magis nos, qui de caelis loquentem nobis avertimus. Cuius vox movit terram tunc, nunc autem repromittit, dicens: Adhuc semel, et ego movebo non solum terram, sed et caelum" (Hebr. 12,25—26)[36]. Ergo Christus debet esse legislator, cui oboediendum est.

Ex Revelatione probat Bellarminus Christum esse regem Ipsumque habere regnum proprium. At regis proprium est leges ferre subiectis populis, nullumque est regnum, quod proprias leges non habeat; ideoque Isaias (33,22) coniungit „legifer noster" cum verbis „rex noster". Christus igitur rex noster aliquam legem sine dubio nobis dedit, per cuius custodiam oboedientiam illi praestaremus[37].

---

36 *De Justificatione*, lib. 4, cap. 5.
37 *Ibid.*, lib. 4, cc. 4 et 5.

Secundo, Christum esse legislatorem patet ex testimoniis, quae docent Evangelium esse aliquam legem. Ita Isaias (2,3) et Michaeas (4,2) prophetae praedixerunt legem de Sion exituram esse et verbum Domini de Jerusalem praedicatum iri. Quod intelligitur communiter de praedicatione evangelica, quae ab urbe Jerusolyma per totum mundum diffusa est. Etiam clare colligi potest Evangelium Christi esse quamdam legem ex his Isaiae verbis: „Attendite ad me, popule meus, et, tribus mea, me audite: quia lex a me exiet, et iudicium meum in lucem populorum requiescet" (Is. 51,4). Hanc autem legem pertinere ad Christum clarescit ex sequentibus verbis: „Prope est iustus meus, egressus est salvator meus,..." (Is. 51,5). Hanc Christi legem, quae est praedicatio evangelica, intelligendam esse stricto sensu, manifestant ipsa verba Domini: „Jugum meum suave est, et onus meum leve" (Mt. 11,30). Haec enim Domini verba aliter non possunt intelligi, nisi Christum attulisse veram legem, quae ut verum iugum aut onus obligat, obligando premit et gravat. Nam promissio vel instructio iugum et onus dici non possunt. Christi iugum et onus dici posse eius legem stricto sensu comprobat Bellarminus etiam ex eo, quod Apostoli veram legem Moysis vocant iugum (Act. Ap. 15,10). Quare S. Paulus recte scribit: „Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi" (Gal. 6,2)[38].

Tertio, Christum esse verum legislatorem probat Bellarminus ex particularibus et propriis eius mandatis. Sic Christus dedit mandatum de suscipiendo sacramento baptismi: „Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei" (Ioan. 3, 5). Praeceptum de Eucharistia: „Amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis" (Ioan. 6,54)[39]. Iam hic modus loquendi „amen, amen dico vobis", „Ego autem dico vobis" (Mt. 5) proprie decet legislatorem[40]. Deinde Christus dedit legem prohibentem libellum repudii, et praecepit, ne vir uxorem dimittat,

[38] *De Justificatione,* lib. 4, cap. 5.
[39] *Ibidem.*
[40] *Ibid.,* lib. 4, cap. 2,

neve uxor virum. Sic S. **Paulus** loquitur de matrimonio: „Iis autem qui matrimonio iuncti sunt praecipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere; quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari“ (1 Cor. 7, 10—11). Dominus noster dedit nobis praeceptum maximum dilectionis, quod praeceptum omnes alias leges et praecepta comprehendit. Hoc autem dilectionis mandatum Christus commendat Apostolis atque per eos Ecclesiae universae, ut ipse dicit: „Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem“ (Ioan. 13,34). Dicitur „mandatum novum“, tum quia Christus hoc dilectionis mandatum renovari volebat, tum quia illud unum diligenter servatum homines facit novos. Christus ipse dicit se dedisse aliqua praecepta, quae ab omnibus custodienda sint: „Euntes..., docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti; docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis“ (Mt. 28, 19—20)[41].

Praeterea patet Christum habuisse potestatem legislativam ex eo, quod ipse ut legislator approbavit praecepta Moysis moralia atque decalogum. Christus enim dicit: „Nolite putare quoniam veni solvere legem...: non veni solvere, sed adimplere“ (Mt. 5,17). Et verissime Christus venit adimplere praecepta moralia, quia mandat servare ea. Christus non tantum confirmat leges morales Veteris Testamenti, sed etiam eas explicat et perficit. Christus enim „erat docens eos sicut potestatem habens, et non sicut scribae eorum et pharisaei“ (Mt. 7, 29), id est, sicut legislator, qui ex auctoritate leges interpretatur, vel mutat, vel addit, non vero sicut legisperitus, qui solum ex scientia legem explicat[42].

Quarto, Bellarminus probat Christum esse legislatorem Traditionis testimoniis. Hic adducitur tantum unum sat clarum testimonium ex *Constitutionibus SS. Apostolorum*, ubi de Christo legislatore sic scriptum est: „Deum enim per Jesum Christum cognovistis, omnemque eius dispensationem a principio factam, quemadmodum simplicem legem dederit in subsidium legis naturalis puram, salutarem, sanctam in qua et nomen

---

[41] *De Justificatione*, lib. 4, cap. 5.

[42] *Ibid.*, lib. 4, cc. 2 et 4.

proprium reposuerit, perfectam, nullo praeditam defectu, per decem illa mandata plenam, animas convertentem..."[43].

b) *De discrimine legis mosaicae a lege Christi*

Novatores saeculi XVI, ut Lutherus[44] et alii ponunt inter legem mosaicam et evangelicam hanc differentiam, quod illa proponit iustitiam et salutem cum conditione totius legis implendae, haec promittit iustitiam et salutem absolute sine ulla conditione, vel cum sola conditione fidei. Et hinc novatores deducunt alterum discrimen: legem terrere, Evangelium consolari[45]. Hic novatores nomine Evangelii nihil aliud intelligunt, nisi praedicationem Christi et Apostolorum, quam quidem praedicationem ideo Evangelium, id est, bonum nuntium appellatum esse dicunt, quoniam nihil nisi consolationem annuntiat. Tamen tenendum est Evangelio contineri illa omnia, quae adversarii soli legi tribuunt, quae sunt praecipue tria: leges proprie dictae, comminationes promissionesque cum conditione oboedientiae[46].

Hic proponendae sunt *differentiae* inter legem Veteris Testamenti et legem Christi proprie dictam. Lex Veteris Testamenti differt *imprimis* a lege Christi in eo, quod lex V. Testamenti data est per Moysem purum legislatorem, lex Evangelii per Christum, qui non fuit solum legislator, sed etiam Redemptor. Proinde lex Moysis venit sola sine gratia; lex autem Christi non sola, sed cum gratia. Itaque qui legem mosaicam acceperunt, doctrinam tantum acceperunt, ut,

---

[43] *Constitutiones Sanctorum Apostolorum*, lib. 6, cap. 19. MG. 1, 962—963. S. Rob. Bellarminus affert haec verba uti testimonium S. Clementis I Rom. Pont., quodque testimonium exponit hoc modo: „Cognoscitis Deum per Christum, universamque eius dispensationem a principio institutam, quod dedit nobis legem simplicem ad auxilium naturalis legis, puram, salutarem, sanctam, in qua et proprium nomen reposuit, perfectam, absolutam, decem praecepta continentem, reprehensione carentem, convertentem animas"; cf. *De Justificatione*, lib. 4, cap. 5.

[44] Lutherus, *Opera latina*, Wittenbergae 1539—1558, *Commentarius ad Gal.* 2., 5, 230 sq.; cf. *De Justificatione*, lib. 4, cap. 1.

[45] *De Justificatione*, lib. 4, cap. 1.

[46] *Ibid.*, lib. 4, cap. 2.

instructi per legem, inter vitia virtutesque discernerent; qui vero Christi legem evangelicam acceperunt, non solum doctrinam, sed etiam gratiam acceperunt, ut non modo inter virtutes et vitia discernerent, sed etiam ut iustitiam diligerent et odio haberent iniquitatem[47]. Hanc differentiam inter Christi legem et legem mosaicam praedictam esse a prophetis dicit Bellarminus. Ezechiel adumbrans sacramentum baptismi de Christi lege sic dicit (36, 25—27): „Et effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, et ab universis idolis vestris mundabo vos. Et dabo vobis cor novum, et spiritum novum ponam in medio vestri; et auferam cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor carneum. Et spiritum meum ponam in medio vestri; et faciam ut in praeceptis meis ambuletis..." Jeremias autem clare duo testamenta distinguit: „Ecce dies venient, dicit Dominus, et feriam domui Israel et domui Juda foedus novum, non secundum pactum quod pepigi cum patribus eorum, in die qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Aegypti, pactum quod irritum fecerunt; et ego dominatus sum eorum, dicit Dominus. Sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israel post dies illos, dicit Dominus: Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam, et ero eis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum" (Jer. 31, 31—33). Quam prophetiam de Novo Testamento exponit S. Paulus, cum dicit (Rom. 5,5): „...caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis". Haec caritas igitur diffusa in cordibus est nihil aliud, nisi lex Christi in corde scripta, de qua loquitur Jeremias, et spiritus in medio nostri positus, de quo vaticinatur Ezechiel. Tunc enim Deus facit, ut ambulemus in praeceptis suis, cum caritatem in cordibus nostris diffundit, quoniam, qui diligit, legem implevit et plenitudo legis est dilectio (Rom. 13,8 sq.)[48].

Secundum S. Paulum (2 Cor. 3,6), lex mosaica est littera occidens, quia qua talis formaliter lex mosaica solummodo imperabat, sed non conferebat gratiam ad implenda prae-

---

[47] *De Justificatione*, lib. 4, cap. 2.
[48] *De Justificatione*, lib. 4, cap. 4.

cepta ab ipsa proposita; lex Christi autem est spiritus vivificans, quia ipsa iubens dat gratiam ad implendum praeceptum. Tamen hic bene notandum est, non tantum legem mosaicam esse litteram occidentem, sed etiam legem Christi posse esse litteram occidentem, si a spiritu seu gratia separetur[49]. Quare S. Ioannes (1,17) respiciens hoc discrimen inter legem Moysis et legem Christi dicit: „Lex per Moysen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est“[50].

Alterum discrimen inter legem Veteris Testamenti et legem Christi est in eo, quod illa soli genti Judaicae data est, haec autem omnibus gentibus. Lex enim Moysis positiva ceremonialis et iudicialis angusta erat, et ritus ac iudicia particularia continebat; lex vero Christi est perfecta; quare ritus, praecepta, sacramenta sunt universalia ita, ut toti mundo communia esse possint. Et ideo Moyses alloquitur populum suum (Deutr. 4,8): „Quae est... alia gens sic inclyta, ut habeat ceremonias, iustaque iudicia, et universam legem, quam ego proponam hodie ante oculos vestros?“ E contra, Christus destinavit Evangelium suasque leges omnibus gentibus: „Euntes docete omnes gentes...“ (Mt. 28,19); „Euntes in mundum universum, praedicate evangelium omni creaturae“ (Mrc. 16,15)[51]. Christus etiam in suo regno, quod est Ecclesia, constituit principes (apostolos et discipulos) super omnem terram, qui vere toti orbi terrae leges tulerunt, quod nullus temporalis monarcha facere potuit[52].

Tertium discrimen inter legem Moysis et legem Christi est in eo, quod lex Moysis, quoniam imperfecta erat adveniente Christi lege mutanda erat, Christi autem legi nulla alia lex succedere debet. Lucas (16,16) dicit:„ Lex et prophetae usque ad Joannem“. S. Paulus statuit principium mutationis legis: „Translato sacerdotio, necesse est ut et legis translatio fiat“ (Hebr. 7,12). Et in versu 18: „Reprobatio quidem fit praecedentis mandati propter infirmitatem eius et inutilitatem“. Et

49 *De Justificatione*, lib. 1, cap. 19 et lib. 4, cap. 4.
50 *Ibid.*, lib. 4, cap. 4.
51 *Ibid.*
52 *Explanatio in Psalmos*, 44, 18.

paulo post (Hebr. 8,13): „Dicendo autem novum, veteravit prius. Quod autem antiquatur et senescit, prope interitum est". Legi Moysis imperfectae igitur, translato sacerdotio, successit lex Christi perfecta. Et quidem Christus adveniens legem Moysis, praecepta ceremonialia et iudicialia, quae erant in Novo Testamento inutilia, simpliciter abrogavit[53]. Christus pro ceremoniis illis mosaicis, quae infinitae erant, instituit in Evangelio sacramenta numero paucissima, observatione facillima, significatione praestantissima[54]. Judiciales leges Christus in Evangelio non tulit, sed eas ferendas reliquit principibus temporalibus[55]. Praecepta moralia et doctrinam fidei Christus mutavit non abrogando, sed perficiendo. Lex moralis non sublata est, sed aucta, amplificata et perfecta[56]. Christus quoniam non venit solvere legem, sed adimplere eam, „ideo non sustulit iura gentium et naturae, sed perfecit: non privavit reges et principes dominio aut iurisdictione, sed eorum iurisdictionem et dominium ordinavit; nam et in ipsa Ecclesia reges et principes sunt non minore praediti potestate politica, quam ethnici essent"[57]. *Ex hoc ultimo textu* apparet Christum ut hominem habere quamdam potestatem in principes et reges. Solvenda est solum quaestio, utrum potestas illa indirecta sit, an quaedem potestas universalis directa in omnes principes. Ipse contextus agit de potestate in principes ratione finis spiritualis, de potestate igitur indirecta. Praeterea mens Bellarmini est Corpus Christi mysticum esse rempublicam christianam, in qua potestas civilis et potestas spiritualis sese inter se habent ut corpus et anima, qua quidem relatione demonstratur potestas indirecta[58]. Attamen textum et contextum bene inspiciendo exigitur hoc loco quaedam Christi ut hominis potestas universalis directa in

---

[53] *De Justificatione*, lib. 4, cap. 4.
[54] *Ibid.*, lib. 4, cap. 3.
[55] *Ibid.*, lib. 4, cap. 3.
[56] *Ibid.*. lib. 4, cap. 4.
[57] *Tractatus de potestate Summi Pontificis in rebus temporalibus*, cap. 3.
[58] Cf. Seb. Tromp S. I., *Corpus Christi quod est Ecclesia*, I. *Introductio generalis*, Romae 1937, pag. 149—150.

omnes principes et reges. Christus homo enim „non privavit reges et principes dominio aut iurisdictione", id est de facto non privavit, sed potuit privare. Aliis verbis, Christus homo habuit in omnes principes quamdam potestatem universalem, vi cuius potuit privare reges et principes dominio aut iurisdictione. Hanc nostram conclusionem (potuit privare) rectam esse patet ex contextu, in quo agitur de Christi hominis et Apostolorum immunitate. Christus homo enim, *quia est Filius Dei naturalis,* ipse immunis fuit omni tributo, et leberavit (ergo etiam potuit liberare) Petrum aliosque Apostolos ab obligatione, qua tenebantur erga ethnicos principes[59]. Ex altera parte, Christi hominis immunitas inexplicabilis esset sine quadam eius potestate universali in omnes reges et principes temporales.

Attamen lex Christi non habebit finem tum quoniam sacerdotium Christi manet in aeternum: „Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech" (Ps. 109,4); tum quoniam regnum Christi erit aeternum, ut legimus in Daniele et Luca (Dan. 2,44; Luc. 1,33). Lex enim cum sacerdotio et regno ita coniuncta est, ut illis manentibus, etiam ipsa manere debeat. S. Paulus si docet quod, translato sacerdotio, necesse est ut etiam legis translatio fiat (Hebr. 7,12), eo magis hoc dicendum est de regno, cum regni proprium sit leges ferre, neque ullum sit regnum, quod proprias leges non habeat. Lex Christi autem sempiterna dicitur „non quod sacramenta et

---

[59] *Tractatus de potestate S. Pont. in rebus temporalibus,* cap. 3: „... quod autem Christus non liberaverit nominatim et expresse Petrum, et Apostolos ab obligatione, qua tenebantur ethnicis principibus, videtur omnino Evangelio repugnare: siquidem Matth. 17 (vv. 23—26) Christus solvit didrachma pro se et Petro, ob scandalum vitandum: nam alioqui neque se, neque Petrum ad id vectigal solvendum obligatos fuisse demonstravit illis verbis: *Reges terrae a quibus accipiunt tributum, vel censum? a filiis suis, an ab alienis?* et respondente Petro, ab alienis, dixit illi Jesus: *ergo liberi sunt filii:* quibus verbis declaravit, se, quod filius esset Regis omnium regum, immunem esse ab omni tributo, et censu: et quoniam cum filius Regis immunis est, ipsa quoque eius familia censetur im-immunis; ideo Petrus, et Apostoli, qui ad familiam Christi ipsius beneficio pertinebant, immunes quoque esse debebant". Cf. *De Sacramento Matrimonii,* cap. 29, quo loco Bellarmini modus agendi confirmat legitimitatem nostrae conclusionis *de Christi potestate universali in res temporales* et principes terrenos.

omnia eius praecepta nullum sint finem habitura, sed quoniam usque ad mundi consummationem legi evangelicae nulla succedere debet alia lex, cum haec perfectissima sit: et praeterea quia caritas, quae est lex nova et testamentum novum scriptum in cordibus, numquam excedit et sine fine in omnem aeternitatem durare debet"[60].

Quartum discrimen illud est, quod lex Moysis non habebat vim iustificandi, neque data est, ut iustificaret, sed ut morbum ostenderet excitaretque ad quaerendum medicum. S. Paulus de lege mosaica dicit: „Per legem cognitio peccati" (Rom. 3,20); in epist. ad Galatas (2,21): „Si enim per legem iustitia, ergo gratis Christus mortuus est". Lex autem Christi, id est Evangelium, vim habet iustificandi. Ideo S. Paulus de Evangelio seu de Christi lege dicit: „Notum autem vobis facio, fratres, evangelium quod praedicavi vobis, quod et accepistis, in quo et statis, per quod et salvamini" (1 Cor. 15, 1—2). Sed hic animadvertendum est Evangelium seu legem Christi vim habere iustificandi non eo sensu, quasi sola littera legis iustificationem afferre possit, sed quoniam cum lege data est etiam gratia fidei et caritatis, quia legislator noster et Redemptor Christus dedit legem et gratiam implendi legem[61].

Quintum discrimen est in eo, quod lex Moysis fuit lex timoris et servitutis, Evangelium seu lex Christi est lex amoris et libertatis. Nos per Christum facti sumus filii Dei adoptivi: „Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba (Pater)" (Rom. 8,15). Vetus Testamentum est in servitutem: „Haec enim sunt duo testamenta: unum quidem in monte Sina, in servitutem generans, quae est Agar" (Gal. 4,24). Et quia sumus filii Dei adoptivi, nos sumus liberati a servitute Veteris Testamenti: „Itaque, fratres, non sumus ancillae filii, sed liberae, qua libertate Christus nos liberavit" (Gal. 4,31). Notandum est legem Moysis dici legem timoris et servitutis, quoniam mandata legis mosaicae data sunt sine gratia Dei, Evangelium autem „Christi legem esse libertatis et amoris, quoniam Chris-

---

60 *De Justificatione*, lib. 4, cap. 4.
61 *Ibid.*

tus, qui dedit mandata, dedit etiam spiritum, per quem in corde diffusa est caritas“[62].

Sextum discrimen inter legem mosaicam et legem Christi est in eo, quod lex Moysis gravissima et importabilis erat, lex Christi autem est iugum suave et onus leve. S. Petrus de lege Moysis dicit: „Nunc ergo quid tentatis Deum, imponere iugum super cervices discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus?“ (Act. Ap. 15,10). De lege sua Christus sic dicit: „Tollite iugum meum super vos... Iugum enim meum suave est, et onus meum leve“ (Mt. 11, 29—30). Potissima causa, cur lex Moysis gravis lex vero Christi levis sit, est annexa legi Christi gratia caritatis. „Quod est enim durum et importabile timenti, leve est et facile diligenti“[63].

c) *Christi potestas legislativa est excellentissima*

Christum habuisse vere excellentem potestatem legislativam patet iam ex praedictis. Etenim Christus dedit legem universo orbi destinatam et succedentem legi veteri, quae fuit sine gratia, ideoque non potuit iustificare. Christi lex dat gratiam et propterea est suavis et facilis lex, cui nulla alia lex succedere debet, cum illa perfectissima sit. Christi enim Regis lex ita perfecta et efficax est, ut ea observanda totus orbis terrarum corrigi et in pace constitui possit. De hac re Bellarminus sic dicit: „Christum iure ac merito regnare debere in orbe terrarum, quia orbem terrae nutantem ob pravas institutiones gentilium ita correxit per legem suam evangelicam, quae prohibet omnia vitia, ut iam commoveri non possit, si leges illas sequatur et observet. Unicum enim Domini praeceptum de dilectione, si observetur, totum orbem terrarum corrigit et in summa pace constituit“[64].

Praeterea lex Christi *eminet excellentibus proprietatibus.* Lex Christi vocari potest „Lex Domini immaculata convertens animas“, id est, lex Christi pulcherrima est, utpote sine ulla

---

62 *De Justificatione,* lib. 4, cap. 4.
63 *Ibid.*
64 *Explanatio in Psalmos,* 95, 10.

macula vel foeditate, cum nullum peccatum permittat, sicut permittunt leges humanae. Ideo lex Christi convertit animas easque trahit ad amandum Deum[65]. Quoniam lex Christi non permittit ullum peccatum, nihilque in hoc saeculo nisi aerumnas atque tribulationes promittit, contraria est legi carnis et prudentiae humanae[66]. Hac autem de causa lex Christi impiis durissimum iugum videtur, „cum viris sanctis eadem lex sit melle dulcior, et desiderabilior auro et lapidibus pretiosis“[67].

Lex Christi manifestat hominibus, quae sit voluntas Dei, quid a nobis requirat Dominus, quas poenas praevaricantibus, quaeque praemia observantibus praeparaverit. Lex Christi etiam dat hominibus lumen prudentiae, „ut sciant bona opera facere, et peccata vitare“. Eadem tamen lex Christi certissime bonos praemiis, malos poenis afficit. Hac de ratione vocari solet lex fidelis[68].

Christus dedit leges iustissimas atque rectissimas, quae sint aptissimae ad dirigendos mores hominum[69]. Et quidem Christi lex est vera et iusta per se ipsam, non egens aliunde iustificatione. Mandata vero Domini ita sunt iusta, ut norma ac regula sit discernendi virtutes a vitiis, opera bona a malis. Sic decem praecepta, cum sint prima principia iuris naturalis, continent in se talem iustitiam, ut in omni loco et tempore sint iusta, atque nullam admittant dispensationem. Aliae autem leges humanae saepe indigent circumstantiis loci, temporis et personarum, ut sint iustae[70].

Demum est proprium Christi legi etiam id, quod pro observatione eius promittitur praemium non temporale, sed aeternum[71]. Ipse Christus promisit pro observatione suorum mandatorum beatitudinem aeternam: „Si haec scitis, beati eritis,

---

65 *Explanatio in Psalmos*, 18, 8.
66 *Concio 3 de multitudine credentium.*
67 *Explanatio in Psalmos*, 2, 3.
68 *Ibid.*, 18, 8.
69 *Ibid.*, 18, 8 et 98, 4.
70 *Ibid.*, 18, 10.
71 *Ibid.*

si feceritis ea" (Ioan. 13,17); et paulo post (Ioan. 15,14): „Vos amici mei estis, si feceritis, quae ego praecipio vobis"[72].

Christus ergo dedit perfectissimas leges, quae eminent tam exellentibus proprietatibus. Quare iure concludere possumus Christum habuisse potestatem legislativam excellentissimam.

d) *Christus fuit legislator spiritualis, sed potuit ferre etiam leges politicas*

Christum fuisse de facto legislatorem spiritualem facile ex dictis concludimus. Legislativa enim potestas Christi maxime revocatur ad legem fidei atque ad legem novam caritatis. Leges igitur Christi respiciunt praecipue finem spiritualem.

Attamen Christus, quamquam *non* tulit de facto leges politicas, *sed potuit* ferre, „si voluisset". Quod Christus ut Deus potuit ferre leges politicas, nullum dubium esse potest. Etenim Christus ut Deus habet potestatem aequalem Patri, qui omnipotens est. Secundum Bellarminum tamen, Christus etiam ut homo „potuit, si voluisset" ferre leges politicas. Hoc ultimum possumus concludere ex Joannis Brentii[73] obiectione et Bellarmini responso. Joannes Brentius dicit Romanum Pontificem non esse supra Christum, cum ipse etiam nonnisi vicarium eius se faciat. „At Christus non venit leges politicas constituere, sed verbum Dei annuntiare; ergo nec Romanus Pontifex debet, aut potest eiusmodi leges ferre". Ergo Joannes Brentius comparat Christi potestatem cum Romani Pontificis potestate. Talis autem comparatio licita esse potest, si Romanus Pontifex comparatur cum Christo homine. Nunc Bellarminus non adnotat Christum ut Deum solummodo potuisse ferre leges politicas, sed simpliciter respondet: „Christus non tulit quidem politicas leges, sed potuit ferre, si voluisset"[74]. Ergo S. Doctor admittit Joannis Brentii affirmationem

---

[72] *De Justificatione*, lib. 4, cap. 2.

[73] Joannes Brentius, *In Leviticum commentarius*, Francofordii 1542, cap. 18.

[74] *De Sacramento Matrimonii*, cap. 29. Tale effatum Bellarmini multum valet ad probandam thesim de potestate *universali* in res temporales, de qua potestate agitur in cap. III.

Christum de facto non tulisse leges politicas, sed Christum etiam ut hominem potuisse eas ferre, si voluisset.

2. **De Christi potestate iudiciaria**

a) *Christus habet supremam potestatem iudiciariam*

Christus est rex excellentissimo modo, qui habet amplissimum regnum suum. Sed regi est proprium habere potestatem iudiciariam[75], et quidem eam supremam in suo regno[76]. In *S. Scriptura* nullum fere interest discrimen inter regem et iudicem: „Et nunc, reges intelligite; erudimini, qui iudicatis terram" (Ps. 2,10). Ergo Christus Rex debet esse etiam supremus iudex in suo regno. Christum Regem futurum iudicem iam praedixerunt prophetae. Isaias dicit de Christo: „Dominus enim iudex noster,... Dominus rex noster, ipse salvabit nos" (Is. 33, 22). Etiam Jeremias dicit (23,5): „Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et suscitabo David germen iustum; et regnabit rex, et sapiens erit, et faciet iudicium et iustitiam in terra"[77]. De Christo, qui solus propria auctoritate potest iudicare, dicit S. Jacobus (4,12): „Unus est legislator et iudex, qui potest perdere et liberare"[78].

Christus missus est a Patre cum potestate non solum praedicandi, sed etiam praecipiendi atque iudicandi[79]. Pater igitur Christo dedit potestatem iudiciariam: „Neque enim Pater iudicat quemquam; sed omne iudicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem" (Ioan. 5,22—23). Et paulo post (Ioan. 5,27): „Et potestatem dedit ei iudicium facere, quia Filius hominis est". Haec verba ergo intelligi possunt Christum etiam ut hominem habere a Patre acceptam iudiciariam potestatem. Bellarminus proponit horum verborum

---

[75] *De laicis*, cap. 12.
[76] *De officio principis christiani*, lib. 1, cap. 9.
[77] *De laicis*, cap. 12.
[78] *De Summo Pontifice*, lib. 4, cap. 17.
[79] *Ibid.*, lib. 4, cap. 16.

tres explicationes. *Primo,* haec verba possunt ita intelligi, ut omnia, quae hic dicuntur data Christo a Patre, intelligantur data ipsi *Verbo* per aeternam generationem. Sic enim intelligit S. Joannes Chrysostomus[80], qui dicit illud „Quia Filius hominis est" debere coniungi cum sequentibus, non cum praecedentibus, „ita ut non sic legamus, dedit ei iudicium facere, quia Filius hominis; sed sic: Quia Filius hominis est, nolite mirari hoc, id est, nolite mirari, si ego sim Filius hominis, tamen dixerim me habere potestatem... iudicandi, et debere honorari ut Patrem, nam non sum Filius hominis tantum, sed etiam Filius Dei"[81]. — *Secundo,* verba S. Joannis possunt intelligi ita, ut illa omnia significentur data humanitati non in se, sed in supposito, idque per gratiam unionis hypostaticae. „Ita videntur accepisse Augustinus[82] et Cyrillus[83]. Ex quorum explicatione non sequitur Christi humanitatem habere in se formaliter divina attributa, sed solum esse naturam eius suppositi quod illa attributa habet"[84]. — *Tertio,* ad verba S. Joannis Bellarminus aequali fere S. Thomae[85] modo notat ita, ut intelligatur de potestate iudiciaria Christo homini

---

[80] *Homil.* XXXIX. MG. 59, 223—224. Joan. Chrysostomus dicit Christum esse iudicem non ideo, quia homo est, sed quia ille homo „ineffabilis illius substantiae Filius est", id est, Filius Dei est. Joan. Chrysostomus igitur agit de communicatione idiomatum: hic homo est Deus; hic homo est iudex.

[81] *De Christo Capite,* lib. 3, cap. 16.

[82] *Tract.* XXII, in Ioan. 5. ML. 35, 1570 sq. S. Augustinus agit de eodem supposito, qui in forma servi hominibus manifestus est, in ultimo iudicio apparebit; in forma autem Dei homnibus occultus est.

[83] S. Cyrillus Hieros., *Cathech* XV, *De secundo Christi adventu.* MG. 33, 906.

[84] *De Christo Capite,* lib. 3, cap. 16.

[85] *In Evangelia S. Matthaei et S. Joannis commentaria.* Tom. II: *Evangelium sec. Joannem,* Taurini (Italia) 1925, *comment. in Joan.* cap. 5, lect. IV: „*Neque enim Pater iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio...* hic vero loquitur de operatione qua Filius secundum quod homo iudicat, et non Pater: unde dicit, quod *omne iudicium dedit Filio*: nam Pater in iudicio non apparebit, quia secundum iustitiam Deus in propria natura iudicandis omnibus apparere non potest: quia cum visio divina sit beatitudo nostra, si mali Deum in propria natura viderent, iam essent beati. Apparebit ergo solus Filius, qui solus habet naturam assumptam. Ipse ergo solus iudicat, qui solus omnibus apparebit".

a Patre data: „Potest intelligi in eo sensu, ut agatur de potestate iudicandi, non quomodocumque, sed exterius et sensibiliter: quae quidem potestas data Christo est, quia Filius hominis est. Nam quia iudex hominum in exteriori iudicio debet videri a iudicandis, ideo non Deus Pater, qui est invisibilis, iudicabit, sed iudicium dabit Filio, qui propter carnem assumptam factus est visibilis“[86].

Christum esse iudicem totius mundi, patet etiam ex aliis locis. Sic S. Petrus commemorat hoc praeceptum testibus praeordinatis iniunctum a Christo: „Et praecepit nobis praedicare populo, et testificari, quia ipse est qui constitutus est a Deo iudex vivorum et mortuorum“ (Act. Ap. 10,42). Et alio loco idem Petrus de Christo iudice loquitur: „Qui reddent rationem ei qui paratus est iudicare vivos et mortuos“ (1 Petr. 4,5). Similia Athenienses docuit S. Paulus: „Et tempora quidem huius ignorantiae despiciens Deus, nunc annuntiat hominibus ut omnes ubique poenitentiam agant; eo quod statuit diem in quo iudicaturus est orbem in aequitate, in viro in quo statuit, fidem praebens omnibus, suscitans eum a mortuis“ (Act. Ap. 17, 30—31). In epistola ad Romanos (2,16) dicit: „...iudicabit Deus occulta hominum, secundum evangelium meum, per Jesum Christum“; „Omnes enim stabimus ante tribunal Christi“ (Rom. 14,10)[87]. Item S. Paulus arbitratur omnia nostra opera, quae fiunt dum sumus in corpore, iudicatura esse: „Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum“ (2 Cor. 5,10)[88]. Tum ex S. Petri, tum ex S. Pauli testimoniis igitur patet Christum etiam ut hominem *constitutum esse a Deo iudicem totius mundi.*

Post Christi mortem et resurrectionem ipsi „data est... omnis potestas in caelo et in terra“ (Mt. 28,18). Post resurrectionem igitur Christus habet amplissimam potestatem super omnia; eo ipso post resurrectionem Christus, qui est princeps

---

[86] *De Christo Capite*, lib. 3. cap. 16.
[87] *De Justificatione*, lib. 4, cap. 5.
[88] *De Ecclesia, quae est in purgatorio*, lib. 2, cap. 2.

regum terrae, paravit thronum suum ad iudicandum populos omnes totius mundi[89].

Afferenda sunt saltem duo *testimonia Patrum* de Christo iudice. S. Cyrillus Hierosolymitanus clare profitetur Christum Regem habere iudiciariam potestatem: „Regnat Christus in saecula, qui iudicat vivos et mortuos, qui pro vivis et mortuis mortuus est, ut Paulus dicit" (Rom. 14,9)[90]. S. Egesippus de Christo in universali iudicio iudicaturo sic scribit: „...adventans in gloria de vivis et mortuis iudicabit"[91].

b) *De exercitio Christi potestatis iudiciariae in hac terra*

Christus, ut verus et naturalis Filius Dei, est heres universorum, ideoque habet omnem potestatem in orbem terrae. Christus tamen, dum saeculum durat, *iudicat* orbem terrae *per homines*: „qui sicut hereditabit orbem terrae, ita etiam iudicabit terram iusto iudicio per suos administros, id est, fideles pontifices et reges"[92]; „Christus ipse per homines sonans, et iudicans omnes fidei controversias litesque componit"[93].

c) *De potestate Christi iudiciaria in iudicio uniuscuiusque particulari*

Futurum esse iudicium particulare statim post mortem uniuscuiusque, nemini dubitare licet. In Concilio Florentino (Decretum pro Graecis) declaratum est, eos qui in peccato mortali ex hac vita decedunt, mox in infernum descendere, eos qui sine culpa lethali, sed cum debito poenae temporalis moriuntur ad purgatorium duci, illos denique, qui post susceptum baptismum immunes a culpa et debito poenae inveniun-

---

[89] *Explanatio in Psalm.*, 9, 8.

[90] *Cathech.* XV. MG. 33, 910; cf. *Recognitio librorum omnium*, in *De S. Pont.*, lib. 5, cap. 4.

[91] S. Egesippus, apud Eusebium, lib. 3, cap. 20; cf. *Eusebius Werke*, Ed. Schwartz, Leipzig, 1903, T. II, pag. 235; X. M. Le Bachelet, *Bellarmin avant son Cardinalat*, Paris, 1911, pag. 488—489.

[92] *Explanatio in Psalmos*, 81, 8.

[93] *De Conciliis et Ecclesia*, Praefatio.

tur, in caelum mox ad aeternam felicitatem conscendere[94]. Unde sequitur post mortem uniuscuiusque statim fieri iudicium particulare. S. Roberti Bellarmini probationem de exsistentia iudicii particularis ex revelatione omittimus, nam haec non pertinet ad nostram rem. Quaerendum nunc est, quis sit secundum Bellarminum iudex in particulari iudicio. S. Doctor sine ullo dubio dicit Christum esse iudicem tum in iudicio particulari tum in generali. Christo iudici, cum nos vocaverit per mortem ad reddendam rationem, hanc debebimus reddere de omnibus operibus nostris, immo etiam de verbis et cogitationibus, usque ad verba otiosa et cogitationes inutiles[95].

Bellarminus ad probandum factum iudicii particularis affert *testimonia Patrum*, inter quos S Cyprianus explicitis verbis affirmat Christum post mortem nostram statim nos iudicaturum: „Gratulari oportet, et temporis munus amplecti, quod dum nostram fidem firmiter promimus, et labore tolerato ad Christum per angustam Christi viam pergimus, praemium vitae et fidei ipso iudicante capiamus“[96]. Ergo etiam ex his verbis sequitur Christum esse iudicem in iudicio particulari.

Bellarminus de iudicio particulari atque de Christo iudice adnotat: „Est etiam observandum, non posse certo definiri, an animae deferantur ad iudicem, an ibi iudicentur ubi corpus relinquunt, et similiter, an iudicentur immediate a Christo in forma humana sententiam proferente, an solum divina virtute quae ubique praesens est, an vero per angelos sententia manifestetur. Quod enim Scripturae passim dicunt, Christum hominem esse iudicem vivorum et mortuorum, intelligunt de novissimo generali iudicio; nam etiam ante incarnationem iudicium particulare exercebatur“[97]. Ergo secundum Bellarminum *non potest definiri, utrum Christus ut homo in iudicio particulari*

---

94 Cf. Denzinger, n. 693; cf. *De arte bene moriendi*, lib. 2, cap. 2.

95 *De arte bene moriendi*, lib. 1, cap. 4.

96 S. Cyprianus, *Lib. de mortalitate*. ML. 4, 592; cf. *De Ecclesia quae est in purgatorio*, lib. 2. cap. 2.

97 *De Ecclesia quae est in purgatorio*, lib. 2, cap. 2.

indicet, an Christus ut Deus. Sententia autem Christi iudicis in iudicio particulari animabus vel per angelos significatur, vel mentibus ipsarum animarum a Deo revelatur[98]. Hoc iudicium particulare „in momento fieri potest, quia praesens adest iudex, qui cum sit Deus et homo, secundum formam Dei ubique est; secundum formam hominis omnia novit". Et proinde nihil impedit, quominus hoc iudicium executioni mandetur[99].

d) *De potestate Christi iudiciaria in iudicio generali*

Iudicium particulare dici potest privatum, si comparatur cum iudicio, quod fiet in die novissimo. Hoc iudicium in die novissimo erit publicum et generale coram omnibus angelis et homnibus[100].

Quis erit *iudex* in iudicio generali? Bellarminus respondet: „Iudex erit sine ulla dubitatione Dominus noster Jesus Christus"[101]. Haec veritas de Christo futuro iudice credenda est *de fide catholica*, ut propositum est in Symbolo Athanasiano: „...inde venturus est iudicare vivos et mortuos..."[102]. Ipse enim Christus dicit se hominem venturum esse iudicare omnes homines: „Cum autem venerit Filius hominis in maiestate sua, et omnes angeli cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suae. Et congregabuntur ante eum omnes gentes..." (Mt. 25,31 sq.). Christum futurum esse iudicem confirmat S. Petrus: „...ipse est qui constitutus est a Deo iudex vivorum et mortuorum" (Act. Ap. 10,42). S. Paulus dicit: „Et tempora quidem huius ignorantiae despiciens Deus, nunc annuntiat hominibus ut omnes ubique poenitentiam agant; eo quod statuit diem in quo iudicaturus est orbem in aequitate, in viro in quo statuit, fidem praebens omnibus, suscitans eum a mortuis" (Act. Ap. 17, 30—31). S. Joannes de Christo iudice loquitur: „Neque

---

98 *De arte bene moriendi*, lib. 2, cap. 2.

99 *Ibid.*

100 *Ibid.*

101 *Ibid.*

102 Denzinger., n. 40. Cf. *Apologia Roberti Bellarmini S. R. E. Cardinalis pro responsione sua ad librum Jacobi Magnae Britanniae Regis...*, cap. 7.

enim Pater iudicat quemquam; sed omne iudicium dedit Filio... Et potestatem dedit ei iudicium facere, quia Filius hominis est" (Ioan. 5,22,27)[103]. Possunt multa alia testimonia S. Scripturae afferri de Christo homine futuro iudice, sed iam ex allatis cum S. Augustino dicendum est: „Credimus enim mortuum Christum, quod iam praeteriit, credimus sedere ad dexteram Patris, quod nunc est, credimus venturum ad iudicandum, quod futurum est"[104]. Ergo Bellarminus Christum futurum iudicem esse proponit ut veritatem de fide credendam.

Christus autem futurus iudex veniet ad iudicandum de caelo, et quidem ita, ut eum omnes homines, qui in terra erunt, videre possint. Ipse Christus enim hoc praedixit: „verumtamen dico vobis, amodo videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, et venientem in nubibus coeli" (Mt. 26,64)[105]. Christus iudex veniet de caelo cum magna potestate et maiestate. Christus tunc erit potentissimus iudex omnes homines iudicaturus. Christus in primo adventu coram hominibus tamquam reus iudicatus est, in secundo tamen adventu ipse coram toto mundo omnes homines iudicabit. Et exercitio huius iudicii exaltabitur coram hominibus Christi nomen; tunc enim implebuntur haec S. Pauli verba: „ut in nomine Jesu omne genu flectatur caelestium, terrestrium, et infernorum" (Phil. 2,10)[106].

In hoc mundo iudicium saepe iniustum esse perspicitur, ultimum iudicium vero iustissimum erit. In ultimo enim iudicio non iudicabunt amplius homines mortales, sed iudicabit „Christus iudex supremus et iustissimus, qui omnia iudicia iniusta retractabit et irritabit, et ultimum iudicium cum exactissima iustitia copulabit"[107]. Itaque „iudex iudicum omnium" dabit sententiam in bonos et malos, et quidem sententiam iustam, quoniam Christus, „qui iudicabit Deus est, in quem iniustitia cadere non

---

103 *De arte bene moriendi,* lib. 2, cap. 2.

104 S. Augustinus, *Enchiridion ad Laurentium,* cap. 8. ML. 40, 234; cf. *De Justificatione,* lib. 1, cap. 9.

105 *De arte bene moriendi,* lib. 2. cap. 2.

106 *Ibid.*; cf. etiam *Contio 2 de dominica I Adventus.*

107 *Explanatio in Psalmos,* 93, 15.

potest"[108]. Et sic iustus iudex omnium vivorum et mortuorum reddet „singulis secundum opera ipsorum"[109]; tribuet iis, qui legem evangelii servaverint, amplissima praemia, et iis, qui servare noluerint, iustissimas poenas[110].

In die novissimo Christus iudicabit non solum omnes homines, sed etiam „angelos apostatas"[111]. Quamquam omnes et singuli homines, id est, fideles cum infidelibus, iusti cum peccatoribus ad iudicium generale vocandi sunt, tamen „peculiari ratione iudicium ad fideles pertinebit". Qui enim non credunt, iam iudicati sunt (Ioan. 3,18)[112]. Non eadem forma igitur omnes iudicabuntur. In Evangelio autem Matthaei (25,31 sq.) describitur sola forma, qua iudicabuntur ii, qui in Ecclesia sunt, quia comparantur a Christo boni et mali ovibus et haedis, qui in eadem grege eiusdem pastoris esse existimantur. In eo iudicio de fidelium operibus, non de fide discutietur[113]. Ergo secundum Bellarminum *fideles* de suis operibus in novissimo iudicio *peculiari modo iudicabuntur.*

Christus in novissimo seu generali iudicio duas solummodo sententias feret: „cum ad nutum Domini omnes mortui resurgent et congregabuntur ante tribunal Christi, et sine ullo impedimento et resistentia iusti exaltabuntur ad regnum; iniusti deprimentur ad supplicium sempiternum"[114]. In die iudicii igitur Christus „totum corpus suum, id est, omnes electos" exhibebit sine macula et ruga[115]. Tunc enim gratia iustorum vertetur in gloriam: „Non solum Christus, sed etiam omnia membra eius induentur gloria; quia tunc sanctificatio emittet flores incredibilis pulchritudinis, quando gratia vertetur in gloriam"[116]. Et propterea iusti summae beatitudinis et gloriae sem-

---

108 *Explanatio in Psalmos*, 49, 1 et 7.
109 *Ibid.*, 101, 16.
110 *Ibid.*, 95, 10.
111 *Tractatus de potestate S. Pontificis in rebus temporalibus*, cap. 21.
112 *Explanatio in Psalmos*, 49, 6.
113 *De amissione gratiae*, lib. 6, cap. 5 et *Explan. in Psalmos*, 49, 6.
114 *Explanatio in Psalmos*, 85, 9.
115 *De Sacramento Baptismi*, cap. 13.
116 *Explanatio in Psalmos*, 131, 19.

piternae effecti cum laetitia „Dominum atque Imperatorem suum ad caeli gaudia revertentem prosequentur et comitabuntur, et cum eo sine fine regnabunt, et bonis caelestibus ac sempiternis perfruentur“[117].

E contrario in die iudicii a Christo impii punientur aeternis poenis. Tunc erit sublata iniquis omnis potestas et Christus confundet omnes inimicos suos[118]. Sed magis Christus confundet suos adversarios Iudaeos: „multo maiore confusione et verecundia replebuntur (Iudaei) in die novissimo, cum eum iudicem suum iustissimum esse videbunt quem in concilio suo, falsis testibus inductis, iudicare praesumpserunt“[119]. *In die novissimo* ergo post sententiam prolatam *omnes erunt subiecti potestati,* etiam damnati, qui „ad inferos detruduntur, ubi Christi pedibus perpetuo comprimuntur“[120].

3. **De potestate Christi coactiva (executiva)**

Secundum S. Robertum Bellarminum potestas coactiva est illa, qua „quis trahitur vi, quo ire non vult“; haec potestas vocari potest *absolute* seu *physice* coactiva. Potestas coactiva *moralis* est tunc, quando „quis nollet aliquid facere, et non libenter facit, facit tamen coactus timore aliquo humano, aut servili“[121].

Bellarminus docet, sicut et S. Thomas[122], essentiam legis in hoc positam esse, ut vim habeat cogendi et ligandi, ita ut sit peccatum aliter agere. Si praeceptum non necessario implendum esset, frustra praeciperetur[123]. Praeterea omne praeceptum observatum consequitur praemium, non observatum poena[124]. Ergo ex dictis apud Bellarminum de conceptu legis atque prae-

---

117 *Concio 2 de extremo iudicio*, pars II.

118 *Explanatio in Psalmos*, 126, 6.

119 *Ibid.*, 39, 19.

120 *Ibid.*, 109, 2.

121 *De monachis*, cap. 29.

122 *Summa Theologica* 1, 2, q. 96, a. 5; cf. *S. Th.* 2. 2, q. 67, a. 1; *Commentar. in epist. ad Rom.* 2, lect. 3.

123 *De Summo Pontifice*, lib. 4, cap. 16.

124 *De monachis*, cap. 7.

cepti iam sequitur Christum, cum ipse verus legislator fuerit, habere potestatem coactivam ad leges adimplendas. Cum agatur de vi cogendi in connexione cum correlativa obligatione morali atque cum quadam remuneratione pro adimpletione praeceptorum, patet illam Christi potestatem coactivam *saltem moralem* esse. Si quaestio ita proposita esset: „potuitne Christus ut homo in hac terra adhibere physicam coactionem", certissime S. Doctor respondisset sic: „potuit, si voluisset"[125].

In iudice proprie dicto invenitur non solum potestas cognoscendi causam, et discernendi ac iudicandi, quid agendum sit, sed etiam potestas „cogendi eum, qui cecidit causa, ad obtemperandum sententiae contra se latae"[126]. Ergo potestas coactiva seu executiva necessario sequitur potestatem iudiciariam. Christus vero habet potestatem iudiciariam, et consequenter potestatem coactivam seu executivam.

Bellarminus dicit Christum iudicem in die novissimo contra adversarios sententiam condemnationis per ministros suos executurum esse. En S. Doctoris verba: „Potestas enim iudiciaria utrumque facere potest: et ferire condemnando, et alligare in compedibus, sententiam per ministros suos exsequendo; tunc igitur sancti alligabunt reges gentium *in compedibus, et...* principes terrae *in manicis ferreis*, quando cum Christo in extremo die Judicii sententiam ferent adversus Antiochos, Herodes, Nerones, Diocletianos et ceteros principes infideles ac dicent: *Ligatis manibus et pedibus, proiiciantur in tenebras exteriores*, Mat. 22,13"[127].

Doctrina de potestate Christi executiva evidenter traditur a S. Matthaeo (Mt. 25,34 et 41): „Tunc dicet rex his, qui a dextris eius erunt: Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. — Tunc dicet et his, qui a sinistris erunt: Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis eius". Bellarminus ad haec Christi verba, quibus proferenda erit sententia, dicit:

---

[125] Quae quaestio sufficienter clara est, si recte intelligitur doctrina de potestate universali in res temporales, de qua in cap. III agitur.

[126] *De Conciliis et Ecclesia*, lib. 2, cap. 18.

[127] *Explanatio in Psalmos*, 149, 8.

„Cui voci absque ulla resistentia vel retractatione respondebit effectus“[128]. Ergo secundum Bellarminum in hoc loco apud Matthaeum vere agitur de Christi potestate coactiva seu executiva, et quidem de potestate coactiva *physica*.

S. Robertus Bellarminus igitur aperte vindicat patestatem illam triplicem, legislativam iudiciariam coactivam, quae pertinet ad Christi regiam potestatem.

III

DE TITULO SEU RATIONE, VI CUIUS CHRISTUS POTESTATEM REGIAM HABET

1. **Christus ut Deus est rex ratione creationis**

Bellarminus dicit iustum esse, ut Christus regnet in terra, quia ipse „cum in forma Dei esset, orbem terrarum condidit, confirmavit et stabilivit, ut commoveri non posset“[129]. Ergo Christus Deus ratione creationis est Dominus totius mundi[130], ideoque regnare debet. Haec autem potentia creativa, per quam Christus est Dominus et Rex totius mundi, est Filio et Patri communis, quoniam a Patre Filio, ut Deus est, communicatur per aeternam generationem[131].

2. **Christus uti conditor Ecclesiae rex est**

Christus est rex, *quia ipse condidit Ecclesiam*, quae est regnum eius. Ad mentem Bellarmini Ecclesiae rex est non solum Christus ut Deus, sed etiam Christus ut homo. Christus Deus „elegit sibi in peculiarem et propriam hereditatem primitivam Ecclesiam, ex iudaeis credentibus, id est, Apostolis

---

128 *Explanatio in Psalmos*, 67, 36.
129 *Ibid.*, 95, 10.
130 *Ibid.*, 67, 4.
131 *Ibid.*, 109, 2.

ceterisque discipulis". Christus Deus constituit ut propriam hereditatem ex populo iudaico Ecclesiam, cui postea adiunxit etiam multitudinem gentium[132]. Ex explicatione horum verborum clarescit Christum Deum constituisse ut sibi hereditatem Ecclesiam *electorum* seu *praedestinatorum*. Si Christus Deus constituit Ecclesiam praedestinatorum, aliis verbis, si Christus ut Deus est causa Ecclesiae praedestinatorum, patet eum recte vocari posse regem Ecclesiae praedestinatorum. Christus autem ut homo „habet a Deo omnem potestatem, nec ipse ab Ecclesia factus est rex, sed ipse potius fecit Ecclesiam esse suum regnum"[133]. Christum ut hominem Ecclesiam *visibilem* fecisse regnum suum clarum est ex contextu. Ergo Christus etiam ut homo est conditor Ecclesiae visibilis, quae est regnum eius, ideoque Christus homo est rex.

3. Christus ut homo est rex ratione unionis hypostaticae

Christus ut homo ab ipso primo instanti conceptionis suae unctus est in regem, ita ut merito a magis ex Perside venientibus vix dum natus Rex Judaeorum salutatus sit[134]. Etenim Verbum Dei corroboravit humanitatem Christi hypostatice sibi unitam[135]; humanitas igitur Christi inuncta abudantissima gratia, ipsi nimirum fonti gratiarum Deo hypostatice unita est; et sic Christus homo accepit tamquam nodum insolubilem hypostaticae unionis robur et potentiam super omnes homines et angelos[136]. Et quoniam non solvetur unquam unio hypostatica humanitatis cum Verbo, ac per hoc semper erit „ille homo, Filius Dei, primogenitus et excelsus prae regibus terrae", in aeternum manebit Christi regnum[137]. Ergo Christus homo est

---

[132] *Explanatio in Psalm.*, 46, 4.
[133] *De Conciliis et Ecclesia*, lib. 2, cap. 16.
[134] *Concio 4 super Missus est;* cf. *Concio 31 de feria 2 Resurrectionis Domini*, pars I.
[135] *Explanatio in Psalmos*, 88, 21.
[136] *Ibid.*, 29, 9.
[137] *Ibid.*, 88, 28.

rex ratione unionis hypostaticae naturae humanae cum divina persona.

4. Christus ut homo est rex ratione redemptionis

Christus ut homo „Humiliavit semetipsum, factus oboediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus exaltavit illum" (Phil. 2, 8—9), id est, „unxit illum in regem, ut acciperet gentes in hereditatem suam, et possessionem suam terminos terrae"[138]. Christus igitur est Dominus omnium gentium, qui Dominus regnare debet; Christus autem Dominus est totius mundi propterea, quod „redemit"[139] omnes ex tyrannide diaboli, et quidem pretio sanguinis sui: „...non corruptibilibus auro vel argento redempti estis..., sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi, et incontaminati" (1 Petr. 1, 18—19). Itaque Christus suo sanguine nos omnes emit et transtulit ad regnum suum[140]. Ergo Christus homo etiam *titulo redemptionis* generis humani acquisivit regiam potestatem.

Ex iis, quae supra dicta sunt, patet S. Robertum Bellarminum probasse Christum esse regem, cui conveniat potestas legislativa, iudiciaria atque executiva. Christum habere regiam potestatem propter quadruplicem titulum: creationem, constitutionem Ecclesiae, unionem hypostaticam, redemptionem. Nunc investigandum est in operibus S. Doctoris, quod sit Christi regnum, atque quam indolem Christi regia potestas habeat. Bellarminus attribuit Christo quadruplicem regiam potestatem: *spiritualem, divinam, universalem, gloriosam.* De hac quadruplici potestate nunc agendum est.

---

138 *Concio 31 de feria 2 Resurrectionis Domini*, pars I.
139 *Explanatio in Psalmos*, 67, 4.
140 *Ibid.*, 76, 14. Cf. *De officio principis christiani*, lib. 1, cap. 3.

CAPUT ALTERUM

DE REGNO CHRISTI SPIRITUALI

Regnum spirituale ac potestas spiritualis habetur, *quando versatur essentialiter et primario circa spiritualia, exercetur mediis praesertim spiritualibus et ordinatur tota ad bona spiritualia.* Christum Dominum habere regnum spirituale ac potestatem spiritualem conveniunt omnes theologi tum Bellarmini tum nostri temporis. Itaque Pius Papa XI docet Christi regnum praecipuo modo spirituale esse: „Verumtamen eiusmodi regnum praecipuo quodam modo et spirituale esse et ad spiritualia pertinere..."[1]. S. Robertus Bellarminus speciali quodam modo vindicat Christo regnum spirituale atque potestatem ad finem aeternum spectantem. Ad probandam suam sententiam S. Doctor affert multa testimonia ex revelatione. Vaticinia S. Scripturae de Christo Rege eiusque regno ipse explicat de regno Christi spirituali. De his vaticiniis[2] iam breviter diximus in primo capite. Nunc proponenda est ex professo doctrina S. Doctoris de regno Christi spirituali. Ipse docet Christi regnum spirituale esse Ecclesiam christianam. Ad Christi regnum autem pertinent etiam infideles atque omnes spiritus. Ergo hic agendum est de Ecclesia, quae est Christi regnum spirituale. Postea dicendum est de Christi potestate regia in omnes populos, etiam infideles, atque ad omnes spiritus. Denique proponenda est sententia Bellarmini de Christi potestate indirecta in temporalia.

---

[1] Litt. Encycl. „Quas primas", *AAS* XVII, 1925, pag. 600.

[2] Luc. 1, 32—33; Is. 9, 6—7; Dan. 2, 44; Ps. 2; Zach. 9, 9; Mich. 5, 2; Jer. 23, 5; Ezech. 37, 22; cf. *Recognitio librorum omnium,* in *De S. Pontifice,* lib. 5, cap. 4.

I

ECCLESIA EST REGNUM CHRISTI, QUOD EST REGNUM SPIRITUALE

1. Ecclesia est regnum Christi

S. Robertus Bellarminus non obscuris verbis docet Christi regnum esse Ecclesiam christianam: „...regnum Christi, id est, Christianam ecclesiam..."[3]; „Ecclesiam, quae est regnum Christi"[4]; „...regni Christi, quod est ecclesiam"[5]. Hac de causa vaticinia de Messia futuro aeternoque regno eius arbitratur intelligenda esse de Ecclesia Christi. Audiamus S. Doctoris verba: „Psal. 88,38: *Thronus eius sicut sol in conspectu meo, et sicut luna perfecta in aeternum, et testis in caelo fidelis.* Ibidem (v. 30): *Et ponam in saeculum saeculi semen eius, et thronum eius sicut dies caeli.* Daniel 2,44: *In diebus autem regnorum illorum suscitabit Deus caeli regnum quod in aeternum non dissipabitur, et regnum eius alteri populo non tradetur* etc. Et Lucae 1,33: *Et regni eius non erit finis.* Ista loca non possunt intelligi, nisi de vera et visibili Christi Ecclesia numquam interitura. Nam regnum Christi sine dubio est vera eius Ecclesia"[6]. Haec vera Christi Ecclesia, quae est eius regnum, est Ecclesia visibilis: „Neque regnum dici possunt aliquot homines occulti, et dispersi ab invicem, et separati ab invicem, qui se non noverunt, qualis est ecclesia invisibilis lutheranorum. Regnum enim est multitudo hominum congregatorum, qui se invicem noverunt"[7]. Ne restringamus Christi regnum ad ecclesiam militantem, Bellarminus dicit Christum regere omnem Ecclesiam, quae est in caelo, in purgatorio atque in terris: „Christus regit omnem Ecclesiam, quae est in caelo, in purga-

---

[3] *De ascensione mentis in Deum per scalas rerum creatarum,* gradus 12, cap. 2.

[4] *De Christo Capite,* lib. 1, cap. 13.

[5] *Apologia Rob. Bellarmini ... pro responsione sua ad librum Jacobi...,* cap. 7.

[6] *De Conciliis et Ecclesia,* lib. 3, cap. 13.

[7] *Ibid.*

torio, in terris, et quae fuit ab initio mundi, et erit usque ad finem"[8].

Si Christi regnum est Ecclesia, sequitur Christum esse Ecclesiae regem. Bellarminus hoc apertissime affirmat in suis scriptis: „Rex Ecclesiae Christus"[9]; „Ecclesia enim christiana proprium Regem habet Christum..."[10]; Christus „Imperator Ecclesiae"[11]; „...Princeps universae Ecclesiae"[12]. Christus autem factus est rex Ecclesiae non per electionem humanam, sed sola voluntate divina, ut ipse de seipso dicit: „Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion, montem sanctum eius" (Ps. 2,6)[13]. Christus solus igitur est rex absolutus et liber totius Ecclesiae: „Regem absolutum et liberum totius Ecclesiae solum Christum esse"[14].

Notandum est S. Doctorem affirmare Ecclesiae regem esse non solum Christum ut Deum, sed etiam Christum ut hominem. Christus Deus „elegit sibi in peculiarem et propriam hereditatem primitivam Ecclesiam, ex Iudaeis credentibus, id est, Apostolis ceterisque discipulis". Christus Deus constituit ut propriam hereditatem ex populo Iudaico Ecclesiam, cui postea adiunxit etiam multitudinem gentium[15]. Si Christus Deus constituit Ecclesiam ut hereditatem sibi, patet eum habere summam potestatem in Ecclesia. Christus etiam ut homo „habet a Deo omnem potestatem, nec ipse ab Ecclesia factus est rex, sed ipse potius fecit Ecclesiam esse suum regnum"[16]. Christus homo igitur est rex Ecclesiae.

---

8 *De Summo Pontifice*, lib. 1, cap. 9.

9 *Explanatio in Psalmos*, 60, 7.

10 *Ibid.*, 47, 2.

11 *De membris Ecclesiae militantis*, Praefacio in tres libros.

12 *De Controversiis*, Tomus I, Praefatio.

13 *Explanatio in Psalmos*, 79, 18.

14 *De Summo Pontifice*, lib. 1, cap. 5.

15 *Explanatio in Psalmos*, 46, 4. Cf. Thes. cap. primum, III, 2, pag. 34—35, ubi clarescit Christum ut Deum esse conditorem et regem Ecclesiae praedestinatorum.

16 *De Conciliis et Ecclesia*, lib. 2, cap. 16.

2. Ecclesia est Christi regnum spirituale

a) *Christi regnum, quod est Ecclesia, non est de hoc mundo, ideo est regnum spirituale*

Bellarminus docet Christum venisse constituere regnum spirituale: „Christus non venit constituere regnum politicum, sed regnum spirituale et caeleste; et similiter Apostoli in hoc regno spirituali commendando et propagando occupati fuerunt; politicum reliquerunt, ut antea erat"[17]. Hoc proprium Christi regnum spirituale initium cepit in Jerusalem; ibi enim fuerunt primi credentes, ibique incepta est propagatio fidei per Apostolos[18]. Christi regnum spirituale, „quod est Ecclesia", inchoatum est aedificari a baptismo Christi, in quo ipse Dominus baptismum a Joanne accipiens, aquas consecravit et baptismum suum instituit, quod est „ianua Ecclesiae". Itaque ab eo tempore Christus coepit praedicare evangelium et congregare discipulos ad Ecclesiam suam[19]. Ergo ex dictis sequitur Christum inchoasse regnum suum condere in hac terra, cives eius elegisse homines ex hoc mundo; *non potest* tamen *dici* Christi regnum — Ecclesiam *esse de hoc mundo.* En verba S. Doctoris: „Ex mundo electa est Ecclesia, et ex mundo exivit; et quamvis adhuc in mundo sit, tamen de mundo esse non debet..."[20]. „Mundus" hic intelligendus est oppositum eorum, quae respiciunt bona spiritualia atque finem spiritualem: „mundus autem recte dicitur populus eorum, qui diligunt mundana bona, et idem mundus est domus patris nostri veteris Adami, qui de paradiso eiectus fuit in hunc mundum"[21]. Ecclesia igitur, quae est Christi regnum, non est regnum de hoc mundo, id est, *non est regnum terrenum, sed spirituale.*

Regnum suum non esse de hoc mundo ipse Dominus coram Praeside Romano diserte profitetur. Quum Pilatus Christum

---

17 *De laicis*, cap. 3.
18 *Explanatio in Psalmos*, 109, 3.
19 *De septem verbis a Christo in cruce prolatis*, lib. 2, cap. 12.
20 *Explanatio in Psalmos*, 44, 12.
21 *Ibid.*

interrogasset, num rex ipse sit Iudaeorum, Christus non respondit se non esse regem et non esse regnum suum in hoc mundo, sed dixit se esse regem et regnum suum esse „in hoc mundo“, tamen non eius generis, quod Pilatus in mente habebat. „Regnum meum non est de hoc mundo. Si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent, ut non traderer Iudaeis; nunc autem regnum meum non est hinc“ (Ioan. 18, 36)[22]. Ex his verbis Bellarminus innixus quibusdam *testimoniis Traditionis* explicat Ecclesiam esse Christi regnum in hoc mundo, tamen ita, ut eius regnum sit spirituale. Audiamus hac de re verba S. Augustini: „Audite ergo, Judaei et Gentes; audi, circumcisio; audi, praeputium; audite, omnia regna terrena: Non impedio dominationem vestram in hoc mundo. Regnum meum non est de hoc mundo. Nolite metuere metu vanissimo quo Herodes ille maior, cum Christus natus nuntiaretur, expavit, et tot infantes, ut ad eum mors perveniret, occidit, timendo magis, quam irascendo crudelior. *Regnum meum,* inquit, *non est de hoc mundo.* Quid vultis amplius? Venite ad regnum, quod non est de hoc mundo; venite credendo, et nolite saevire metuendo. Dicit quidem in prophetia de Deo Patre: *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion, montem sanctum eius* (Ps. 2,6), sed Sion illa et mons ille non est de hoc mundo. Quod est enim regnum eius, nisi credentes in eum“[23]. Secundum S. Augustinum igitur Christi regnum non est de hoc mundo, quia nonnisi credentes in Christum intrant in eius regnum, id est, per fidem homines fiunt cives regni Christi.

S. Thomas explicando illa Christi verba „Regnum meum non est de hoc mundo“ dicit: „Sciendum est, quod Dominus ad quaestionem respondens de regno, ita responsionem suam temperavit ut nec manifeste confiteretur se esse regem, cum rex non esset eo modo quo Pilatus intelligebat; nec negaret, cum spiritualiter esset Rex Regum. Dicit ergo: *Tu dicis quia rex sum ego,* scilicet carnaliter secundum quem mo-

---

[22] *De Conciliis et Ecclesia,* lib. 2, c. 16.

[23] *Tract. 115 in Ioan. 18.* ML. 35, 1939; cf. X. M. Le Bachelet, *Bellarmin avant son Cardinalat,* Paris, 1911, pag. 490.

dum rex non sum, sed alio modo rex sum ego"[24]. Itaque S. Thomas dicit Christum fuisse regem spiritualem, non autem regem temporalem, quem Pilatus in mente habebat.

Card. Toletus declarat Christi regnum fuisse non temporale, sed spirituale: „Profecto asserendum est Pilatum novisse quidem, et credidisse Christum regem esse, sed regnum hoc non esse temporale"[25].

Joannes Maldonatus etiam profitetur Christi regnum fuisse non mundanum, sed spirituale: „Sunt qui quodammodo invitum facere velint regem, haereticosque putent, qui temporalem regem fuisse negant, cum ipse in iudicio interrogatus palam responderit: *Regnum meum non est de hoc mundo,* id est, non est mundanum, non est terrenum, non est temporale, sed caeleste et spirituale"[26]

b) *Christi regnum esse spirituale patet ex comparatione Davidis regni cum regno Christi*

Angelus Gabriel annuntiavit Virgini eius Filium sessurum in sede David et Christi regnum duraturum sine fine: „Hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur, et dabit illi Dominus Deus sedem David, patris eius; et regnabit in domo Jacob in aeternum, et regni eius non erit finis" (Luc. 1, 32—33). Quae verba videntur desumpta ex Isaia propheta: „Super solium David, et super regnum eius sedebit, ut confirmet illud et corroboret in iudicio et iustitia, amodo et usque in sempiternum" (Is. 9,7)[27]. Ergo ex his *S. Scripturae* verbis clarum est Deum daturum esse Christo sedem David, et ita Christum in

---

[24] *Comment. in Joan.* 18, 36, lectio VI, 8; cf. *Recognitio librorum omnium,* in *De S. Pontifice,* lib. 5, cap. 4.

[25] *Commentarius in Evangelium Joannis,* Roma, 1588, *in Joan.* 18, adnot. 16; cf. X. M. Le Bachelet, *Auctarium Bellarminianum: Supplément aux Oeuvres du Cardinal Bellarmin,* Paris, 1913, pag. 600.

[26] *Comment. in 4 Evangelia,* vol. I, Pont-à-Mousson, 1595, *comment. in Mt.* 27; cf. *Auctarium Bellarminianum,* pag. 601.

[27] *Recognitio librorum omnium,* in *De S. Pont.,* lib. 5, cap. 4.

domo Jacob regnaturum in aeternum. Sed quomodo Christus sedit in solio David patris sui? Etenim Christus ne rex a turbis fieret ex conspectu eorum se eripuit et in montem solus fugit (cf. Ioan. 6,15). Quomodo Christus regnabit in aeternum in domo Jacob? Ipsa enim domus Jacob non solum Christum suum regem coram Pilato negavit, sed etiam ad necem tamquam reum postulavit (cf. Ioan. 19, 14—15)[28]. Praeterea Christus non accepit regnum temporale *hereditario* modo. Christus etsi descendit e familia regia David, eo tamen tempore regnum erat ablatum a familia David. Deo volente, qui etiam praedixerat ex Jechoniae familia, unde Christus descendit, nullum futurum regem esse, nimirum temporalem, eo modo, quo fuerat David et alii eius successores. Sic legimus de Jechonia in prophetia Jeremiae: „Haec dicit Dominus: Scribe virum istum sterilem, virum qui in diebus suis non prosperabitur; nec enim erit de semine eius vir qui sedeat super solium David, et potestatem habeat ultra in Juda" (Jer. 22,30). Nos autem scimus ex Matthaeo (1,11) Christum descendere ex illo Jechonia[29]. Ergo Christus non sedit in eo solio, in quo David, Salomon, Josias aliique tam multi reges Hebraeorum sederunt; sed nec de ea quidem sede Angelus Gabriel locutus est. Non decebat etiam, ut Christus Rex caeli et terrae, qui sedet super Cherubim, in angustissimo angulo orbis terrae, tamquam unus de reliquis regibus terrenis imperaret. Christus igitur sedet in solio David non temporali atque terreno. Si quis promittit dare aliquod regnum, agitur de donatione regni proprie dicti, non autem depicti. „Sic etiam cum Angelus ad Virginem de Christo ait: *Dabit illi Dominus Deus sedem David,* non typicam, sed veram, non terrenam, sed caelestem, non temporalem, sed aeternam intellexit, cuius illa ita expresse imaginem praetulit, ut Christi regnum sedes David aptissime nominetur[30]. Bellarminus igitur declarat *Christi regnum non esse terrenum et temporale, sed spirituale et aeternum; Davidis autem regnum terrenum*

---

[28] *Concio 4 super Missus est.*
[29] *De Summo Pontifice,* lib. 5, cap. 4.
[30] *Concio 4 super Missus est.*

et temporale fuisse solummodo imaginem regni Christi spiritualis et aeterni.

Christi autem regnum aeternum non potest aliter intelligi, nisi sit regnum spirituale, in quo Iudaei valde errant, exspectantes Christum, qui Hierosolymis temporaliter regnet[31]. Etenim si Christus, dum vixit in terris, fuit rex Iudaeorum humano more, certe desiit hoc modo regnare, cum ad Patrem ascendit. Tunc non est verum hoc praedictum: „Et regni eius non erit finis" (Luc. 1,33). „Et cum idem regnum occupatum fuerit paulo post a Romanis, deinde a Saracenis, et nunc a Turcis teneatur, quo pacto impletum est quod dixit Daniel (2,44): *et regnum eius alteri populo non tradetur?* Non igitur Christus rex fuit temporalis, sed rex spiritualis Ecclesiae, cuius regni figura fuit regnum temporale Davidis et Salomonis. Hac ratione dedit Christo Pater sedem David patris sui, ut regnaret in domo Jacob in aeternum"[32]. Ergo secundum Bellarminum Christi regnum aeternum intelligendum est spiritualiter permansurum in totam aeternitatem. Itaque Christus spiritualiter regnans permanebit nobiscum usque ad mundi consummationem „per gratiam et auxilium". Ipse tamen Christus regnabit non solum usque ad mundi consummationem, sed in aeternum „per gloriam et felicitatem"[33]. Et quoniam Christus spiritualiter regnat atque in aeternum regnabit, ideo vivificat nos „vita gratiae" hic in terris, et vivificabit „vita gloriae" postea in caelis[34].

Christum sedere in solio David non temporali et terreno, sed aeterno et spirituali, Bellarminus non obscure probat *SS. Patrum et theologorum testimoniis.* S. Ambrosius tractat quaestionem, quomodo apud *Lucam* (1, 32—33) legatur Christum habiturum sedem David, cum apud *Jeremiam* prophetam (Jer. 22,30) nullus de semine David post Jechoniam sessurus in illa sede dicatur. Quam quaestionem S. Ambrosius ita *solvit:* prophetam Jeremiam loqui de regno temporali, Lucam autem de regno spirituali. Audiamus S. Ambrosii verba: „Ipsum

---

31 *Explanatio in Psalmos*, 88, 5.
32 *De Summo Pontifice*, lib. 5, cap. 4.
33 *Explanatio in Psalmos*, 71, 5.
34 *Ibid.*, 79, 19.

regem secundum honorem saeculi non accepimus Christum... Quomodo ex semine Jechoniae nullus regnaturus dicitur per prophetam? Si enim Christus regnavit, ex semine autem Jechoniae Christus est, propheta mentitus est, mentita sunt et oracula. Sed illic futuros ex semine Jechoniae posteros non negatur; et ideo de semine eius est Christus: et quod regnavit Christus, non contra prophetiam est; non enim saeculari honore regnavit, nec in Jechoniae sedibus sedit, et ibidem regnare se dixit, qui non regnavit in terris"[35]. Et infra idem S. Ambrosius affirmat prophetiam *Jeremiae* non contradicere prophetiae *Gabrielis Archangeli*, cum Christi regnum spirituale intelligendum sit. Ipse Christus dixit: „Regnum meum non est de hoc mundo" (Ioan. 18,36). „Qui dicit non esse de hoc mundo regnum suum, ostendit esse supra mundum. Ita et erat regnum eius, et non erat: non erat in saeculo, erat supra saeculum. Erat ergo regnum aliud veri David, quod solus Christus accepit"[36].

Fere eodem modo prophetiam *Jeremiae* (22,30) explicat S. Hieronymus: „Non sedebit quidem super thronum David vir et homo, sed sedebit Deus, regnumque eius non erit terrenum et breve, ut fuit David, sed perpetuum et caeleste, dicente Scriptura: *Regnabit super domum Jacob in aeternum, et regni eius non erit finis* (Luc. 1, 32—33)"[37]. S. Ambrosius et S. Hieronymus igitur solventes quaestionem de contradictione, quae videtur esse inter prophetam Jeremiam et Lucam, eo modo explicant quod Jeremias, qui dicit neminem post Jechoniam ex stirpe David sessurum in throno David, loquatur de regno terreno, Lucas autem, qui dicit Christum sessurum in throno David, loquatur de regno spirituali[38].

S. Epiphanius Dei promissionem Davidi „De fructu ventris tui ponam super sedem tuam" (Ps. 131,11) explicat ita,

---

35 *Expositio Evangelii secundum Lucam*, lib. 3. ML. 15, 1607; cf. *Recognitio librorum omnium*, in *De S. Pont.*, lib. 5, cap. 4 et X. M. Le Bachelet, *Bellarmin avant son Cardinalat*, p. 489—490.

36 S. Ambrosius, *ibid.* ML. 15, 1608; cf. X. M. Le Bachelet, *op. cit.*, pag. 489—490.

37 *Comment. lib. 4.* in Jeremiae cap. 22. ML. 24, 850; cf. X. M. Le Bachelet, *op. cit.*, pag. 490.

38 Cf. *Recognitio librorum omnium*, in *De S. Pont.*, lib. 5, cap. 4.

ut necesse sit intelligere, hanc promissionem non carnaliter impletam esse. Qua ratione carnaliter impletum non est in Salvatore, ut sedeat super thronum David? S. Epiphanius respondet Christum carnaliter non potuisse sedere in throno David, quoniam Davidis regnum carnale cessavit ante nativitatem Christi. Sic dicit prophetiam impletam esse, quia Christus regnat in Ecclesia per suum regale sacerdotium quod spirituale necessario est. Bellarminus declarans S. Epiphanii explicationem dicit Epiphanium per regiam dignitatem cum sacerdotio coniunctam non intelligere regnum aliquod temporale, sed potestatem ecclesiasticam, quae consistit *non solum in officio sacerdotali sacrificandi et orandi, sed etiam in vera iurisdictione gubernandi* et regendi fideles secundum leges evangelii[39]. „Nam Epiphanius sequitur... alios, qui docuerunt regnum David fuisse typum regni Christi spiritualis, quo regnat in Ecclesia, cuius regni participes sunt omnes episcopi, sed praecipue summus pontifex"[40]. Ex dicto S. Epiphanii testimonio sequitur Christi regnum eiusque potestatem *spiritualiter* intelligendum esse.

---

[39] Cf. S. Epiphanius, *Adversus Haereses*, lib. 1, tom. 2. MG. 41, 390 sq. — Bellarminus S. Epiphanii testimonium exponit hoc modo: „Sanctus Epiphanius haeresi XXIX, quae est Nazareorum, quaerit quomodo impletum sit quod dicitur in Psalmo 131 (v. 11): *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam;* et primo dicit hoc non esse impletum carnaliter. Qua ratione, inquit, super sedem David non sedit? Venerunt, inquit Evangelium, ut ungerent eum regem, quo cognito secessit etc. Et infra: Qua ratione carnaliter impletum non est in Salvatore ut sedeat super thronum David. Et infra demonstrat regnum David carnale cessasse paulo ante Christi nativitatem, ut non potuerit carnaliter sedere in throno iam everso. Sic igitur dicit impletum esse, quia Christus regnat in Ecclesia per suum regale sacerdotium quod spirituale necessario est, cum opponatur carnali. Thronus igitur, inquit David, et regia sedes, est sacerdotium in sancta Ecclesia, quam dignitatem regiam simulque pontificiam, simul coniunctim largitus est Dominus sanctae Ecclesiae suae, translato in ipsam throno David non deficiente in aeternum" (X. M. Le Bachelet, *Bellarmin avant son Card.*, p. 491—492), „haec ille, qui per regiam dignitatem, cum sacerdotio cuniunctam, non intelligit regnum aliquod temporale, sed potestatem ecclesiasticam, quae non consistit solum in officio sacerdotali sacrificandi et orandi, sed etiam in vera iurisdictione gubernandi, et regendi fideles secundum leges Evangelii" (*Recognitio librorum omnium*, in *De S. Pontifice*, lib. 5, cap. 4).

[40] *Recognitio librorum omnium*, in *De S. Pont.*, lib. 5, cap. 4.

S. Bernardus verba „Et dabit illi Dominus Deus sedem David patris eius“ (Luc. 1,32) explicat de Christi regno non temporali et terreno, sed aeterno et spirituali: „Quaero autem, quomodo dederit ei Deus sedem David patris sui, cum ipse in Jerusalem non regnaverit, quin imo turbis eum volentibus constituere regem non acquieverit (Ioan. 6,15), sed et ante faciem Pilati protestatus sit: *Regnum meum non est de hoc mundo* (Ioan. 18,36). Denique quid magnum promittitur ei, qui sedet super Cherubim (Ps. 79,2), quem propheta vidit sedentem super solium excelsum et elevatum (Is. 6,1), sedere in throno David patris sui? Sed novimus quandam aliam Jerusalem ab ea quae nunc est, in qua regnavit David, significatam, multo ista nobiliorem, multo ditiorem. Hanc igitur puto hic fuisse significatam... Dabit ergo ei Dominus Deus sedem David patris sui, non typicam, sed veram; non temporalem, sed aeternam sed caelestem. Quae idcirco, ut iam dictum est, memoratur fuisse David, quia haec, in qua temporaliter sedit, aeternae illius gerebat imaginem“[41].

Eusebius Caesariensis de regno Christi sic loquitur: „Ubi vero Dominus et Salvator Jesus Christus, qui de semine David ortus est, in totum orbem rex denuntiatus est, tamquam ea quae de terra et ruina instaurata sit, ipsa illa sedes David, per divinum Salvatoris nostri regnum, erecta est, et permanebit in aeternum, veluti sol in conspectu Dei, illius lucis radiis, quam doctrina illius praesefert, totum orbem terrarum illustrans“[42]. Ad hoc Eusebii testimonium Bellarminus dicit: „Haec ille, qui apertissime demonstrat Christi regnum esse spirituale et caeleste, dicit enim sedem David fuisse eversam et regnum destructum: sed per Christum instauratum esse sedem illam David et regnum eius renovatum: certum autem est non fuisse instauratum regnum temporale Davidis, sed illud quod eo figurabatur. Ideo patet ex eo, quod Eusebius hoc Christi novum regnum divinum appellat: item quia dicit per

---

[41] *Homilia IV super Missus est.* ML. 183, 78—79; cf. X. M. Le Bachelet, *Bellarmin avant son Card.*, pag. 492; cf. etiam *Recognitio librorum omnium*, in *De S. Pont.*, lib. 5, cap. 4.

[42] *De demonstratione evangelica*, lib. 7. MG. 22, 534.

doctrinam Christi, quae in toto orbe fulget, hoc regnum ubique dilatari"[43]. Ergo secundum Bellarminum testimonia Eusebii de regno Christi intelligenda sunt de regno spirituali.

Ad probandum Christi regnum spirituale Bellarminus affert etiam quorundam *theologorum* explicationes. Sic J o a n n e s D r i e d o docet solium David explicandum esse de *regno* Christi *spirituali, quod est Ecclesia.* En eius verba: „Hac ratione implentur Scripturae prophetarum de Christo rege dicentium, quod dominabitur. Huius generis Scripturae sacrae sunt carnalibus Judaeis in laqueum et in scandalum, dum ea, quae de Christo Rege, et illius regno, et de monte Sion, et Hierusalem, et de domo Jacob, et de solio David sunt a prophetis praenuntiata, accipiunt secundum litteram, terrenum regnum quoddam in terrena Hierusalem futurum concipientes ex huiusmodi Scripturis, quae tamen sunt accipienda neque de illa terrena Hierusalem, neque de ullo temporali regno, sed de spirituali regno quod est Ecclesia"[44].

C o r n e l i u s J a n s e n i u s verba „Et dabit illi Dominus Deus sedem David patris eius; et regnabit in domo Jacob in aeternum" (Luc. 1, 32—33) explicat *hoc sensu:* sedem David terrenam et temporalem esse figuram Christi regni spiritualis, et domum Jacob sumi pro familia Jacob spirituali, quae est omnium fidelium congregatio. Sic ipse scribit de regno Christi: „Dicitur Regnum Messiae sedes, et regnum David, non quod temporale esset, sensibile et terrenum; sed quod in regno Davidis adumbratum fuit, et Davidi in proprio semine promissum sub typo regni eius. Ita et domus Jacob hic non potest accipi pro familia Jacob carnali, sed pro spirituali, quae est omnium fidelium congregatio"[45].

---

[43] *Recognitio librorum omnium,* in *De S. Pont.*, lib. 5, cap. 4.

[44] *De ecclesiasticis scripturis et dogmatibus,* Lovania, 1533, lib. 3, tract. 2, cap. 4; cf. *Auctarium Bellarminianum,* pag. 600. — Joan. D r i e d o (1480 — 4. 8. 1535) erat professor theologiae in Universitate Lovaniensi. Cf. Lexikon für Theologie und Kirche, Freiburg im Br., 1931, III, 459.

[45] *Concordia Evangelica,* Venetiis 1586, cap. 3; cf. *Recognitio librorum omnium,* in *De S. Pont.*, lib. 5, cap. 4. — C o r n. J a n s e n i u s (1510 — 11.4. 1576) erat professor in Universitate Lovaniensi. Cf. H H u r t e r, *Nomenclator litterarius,* tom. I, Oeniponte 1892, n. 24, pag. 23—25.

Adamus Sasbout explicans Isaiae (9,7) verba „super solium David, et super regnum eius sedebit" de regno Christi spirituali, quod est Ecclesia, sic loquitur: „Ad haec verba alludit angelus Gabriel apud Lucam (1, 32—33), ubi ait, *Dabit ei Dominus sedem David patris eius.* Et quemadmodum locum illum apud Lucam male intelligunt illi, qui millenarii dicuntur, putantes Christum in terra mille annos regnaturum, sic Judaei praesentem locum interpretantur de regno corporeo, quale est regnum principum huius mundi; cum apertissimae Scripturae sint in Testamento veteri, testantes regnum Christi huiusmodi non futurum. Dicitur enim apud Zachariam (9,9) et *ipse* erit *pauper* etc. Dicitur autem Christus super solium David sedere, et regnum eius non habiturum finem, quoniam in Ecclesia et populo fideli, cuius typus erat regnum David, ipse dominium tenet, et imperium amodo usque in sempiternum"[46].

c) *Christi regnum esse spirituale patet ex eo, quod eius regnum directe opponitur regno diaboli*

Non obscure Bellarminus affirmat Christi regnum directe opponi regno diaboli. Etenim princeps cum quo pugnavit Christus, ut regnum suum acquireret, non fuit Herodes, aut Caesar, sed diabolus[47]. Diabolum habuisse aliquam potestatem constat ex *revelatione.* S. Paulus iam vocat daemones principes, potestates mundi et rectores tenebrarum: „Quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem: sed adversus principes, et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum..." (Ephes. 6,12). Etiam Christus ipse vocat diabolum principem huius mundi (Ioan. 12,31)[48]. Ex altera parte Christus, ut verus et legitimus heres universorum (Hebr. 1,2), mundi principatum sibi repetebat. Itaque in cruce fuit collucta-

---

[46] *Commentarius in Esaiam Prophetam,* cap. 9, 7; *Opera omnia,* Colonia Agrippina, 1568; cf. *Recognitio librorum omnium,* in *De S. Pont.,* lib. 5, cap. 4. — Ad. Sasbout erat professor in Univ. Lovaniensi. Cf. H. Hurter, *op. cit.,* tom. IV, 1899, n. 567, col. 1285—1287.

[47] *Recognitio librorum omnium,* in *De S. Pont.,* lib. 5, cap. 4.

[48] *De septem verbis a Christo in cruce prolatis,* lib. 2, cap. 12.

tio ingens Christi cum principe huius mundi. Haec vero colluctatio non erat militaris, sed iudicialis, quae fieri solet inter litigantes. Litigabat igitur diabolus cum Filio Dei pro possessione mundi, id est, generis humani. Diabolus ab antiquissimo tempore tyrannice usurpavit sibi potestatem in mundum, quia vicerat primum hominem, et „servum suum illum fecerat cum universa eius progenie“[49]. Aliis verbis, per peccatum Adami diabolus accepit potestatem in totum genus humanum. Tunc diabolus arbitrabatur genus humanum iuste a se teneri captivum et tyrannice illud vexabat. Christus tamen hanc litem et controversiam, „quae erat generi humano sive Ecclesiae cum diabolo“, in cruce absolvit[50]. Christus enim in cruce plenissime satisfecit iustitiae divinae pro culpa Adami omniumque filiorum eius; itaque Deus reconciliatus eripuit genus humanum de potestate diaboli, liberavit a morte sempiterna, „et transtulit in regnum Filii dilectionis suae“ (Col. 1,13)[51]. Sic Christus in cruce nobis victoriam tribuit „adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum“ (Eph. 6,12)[52]. Quod Christus in cruce diabolum vicerit et de eo triumphavit, patet ex his S. Pauli verbis: „Delens quod adversus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, et ipsum tulit de medio, affigens illud cruci; et expolians principatus et potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso“ (Col. 2, 14—15)[53]. Christus vincendo diabolum *in cruce acquisivit regnum suum.* Ipse Christus dicit crucem fuisse scalam ad regnum: „Nunc iudicium est mundi; nunc princeps huius mundi eiicietur foras. Et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum“ (Ioan. 12, 31—32)[54]. Christum in cruce accepisse regnum confirmat S. Augustinus his verbis: „Attende saltem gloriam crucis ipsius. Iam in fronte regum

---

[49] *De septem verbis a Christo in cruce prolatis*, lib. 2, cap. 12.
[50] *Explanatio in Psalmos*, 9, 4.
[51] *De septem verbis a Christo in cruce prolatis*, lib. 2, cap. 12; cf. *Explanatio in Psalmos*, 102, 4.
[52] *Explanatio in Psalmos*, 143, 4.
[53] *De Ecclesia triumphante*, lib. 2, cap. 27.
[54] *Ibid.*

crux illa fixa est, cui inimici insultaverunt. Effectus probavit virtutem: domuit orbem, non ferro, sed ligno"[55]. S. Leo M. etiam dicit Christum vicisse diabolum et acquisisse regnum suum per passionem et crucem: „O admirabilis potentia crucis, o ineffabilis gloria passionis, in qua et tribunal Domini, et iudicium mundi, et potestas Crucifixi"[56]. Hanc suam probationem Bellarminus *sic concludit:* „Nec sine magno mysterio in titulo crucis scriptum fuit litteris hebraicis, graecis et latinis *Rex Judaeorum*, ut totus mundus agnosceret Christum per passionem suam de diabolo triumphasse et regnum sibi peperisse"[57]. Ergo Bellarminus aperte probat *Christum acquisisse sibi regnum ac potestatem regiam per passionem et crucem.* Haec Christi regia potestas acquisita per crucem, sine dubio, *spiritualis* est.

Ad diaboli regnum pertinebant homines infideles, *in quorum cordibus* diabolus invisibiliter et libere *regnabat* per infidelitatem et inoboedientiam mandatis Dei[58]. Diaboli regnum recte vocatur „regnum peccati"[59], quia in cordibus infidelium „regnabat diabolus per vitia et peccata"[60]. Christus autem venit evertere regnum diaboli: „In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli" (1 Ioan. 3,8). „Porro si in digito Dei eiicio daemonia, profecto pervenit in vos regnum Dei. Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea, quae possidet. Si autem fortior eo superveniens vicerit eum, universa arma eius auferet, in quibus confidebat, et spolia eius distribuet" (Luc. 11, 20—22). Cum diabolus custodiret atrium, id est, cum conservaret infidelitatem hominum, possidebat secure omnia sua, et eo ipso libere regnabat in cordibus hominum. Sed atrio expugnato a Christo, id est, infidelitate sublata et cognitione

---

[55] *Enarratio in Ps. 54.* ML. 36, 657; cf. *Recognitio librorum omnium,* in *De S. Pont.*, lib. 5, cap. 4.

[56] *Sermo VIII de passione Domini.* ML. 54, 341; cf. *Recognitio librorum omnium,* in *De S. Pont.*, lib. 5, cap. 4.

[57] *Recognitio librorum omnium,* in *De S. Pont.*, lib. 5, cap. 4.

[58] *Ibid.*

[59] *Concio 31 de resurrectione Domini.*

[60] *De S. Pontifice,* lib. 5, cap. 4.

veri Dei restituta, diabolus omnia perdidit[61]. Diabolo enim a Christo superato, et eo ipso infidelitate sublata, „coepit Christus regnare in cordibus fidelium" *per fidem, gratiam, oboedientiam mandatis Dei*[62]. Et tunc „omnia arma diaboli, id est, superbia, avaritia, luxuria et cetera vitia paulatim erepta sunt, et in eorum locum successerunt virtutes humilitas, charitas, continentia et ceterae"[63]. Christus autem pugnavit cum diabolo in hoc proelio *non armis aut viribus corporeis,* sed „sapientia et iustitia"[64]; atque Christus „caritate et patientia, humilitate et oboedientia, meritis vitae sanctissimae, sanguine pretioso ex caritate fuso, non hasta et gladio victoriam de hoste potentissimo reportavit"[65]. Talia autem arma non pertinent ad regem temporalem et regnum terrenum; ideoque sequitur Christum fuisse regem spiritualem et vincendo diabolum acquisisse regnum spirituale. Homines igitur liberati per victoriam Christi a potestate tenebrarum et translati in regnum Christi, distributi sunt per varias mundi regiones, ut „multitudinem gentium ad fidem converterent, et Christi regno adiungerent"[66]. Ad Christi regnum igitur, quod est Ecclesia, homines pertinent per confessionem fidei[67], et tunc Christus iam regnat in cordibus fidelium per fidem et caritatem seu gratiam. Atqui regnare in cordibus hominum per fidem et gratiam nihil aliud significat quam regnare spiritualiter[68]. *Ergo Christi regnum est spirituale et ipse regnat in cordibus fidelium spiritualiter.*

Cum Christus regnet in cordibus fidelium, movet sua potestate regia etiam animos et voluntates eorum. Hic vero modus regnandi est in oppositione ad modum regnandi regum

---

[61] *Recognitio librorum omnium,* in *De S. Pont.,* lib. 5, cap. 4; cf. *Explanatio in Psalmos,* 9, 6.

[62] *De S. Pontifice,* lib. 5, cap. 4 et *Recognitio librorum omnium,* in *De S. Pont.,* lib. 5, cap. 4.

[63] *De officio principis christiani,* lib. 1, cap. 3.

[64] *Explanatio in Psalmos,* 44, 5; cf. *ibid.,* 97, 2.

[65] *Ibid.,* 97, 2.

[66] *De officio principis christiani,* lib. 1, cap. 3.

[67] *De Conciliis et Ecclesia,* lib. 3, cap. 9.

[68] *De S. Pontifice,* lib. 5, cap. 4; cf. *Explanatio in Psalmos,* 95, 9.

temporalium. En de hac re Bellarmini verba: „Non ita Nabuchodonosor, neque Cyrus, neque Alexander, neque Augustus, neque David, neque Salomon, neque nostri Constantini, et Theodosii, et Caroli unquam regnaverunt. Isti enim solis corporibus imperare, sola corpora movere, et nisi paruissent, sola corpora necare poterant: Christus vero in domo Jacob, in Ecclesia sanctorum, in cordibus electorum ita regnat, ut animos et voluntates moveat, et eas ad omne suum obsequium paratas et promptas efficiat, replens eas fide, spe, charitate, iustitia, pace, gaudio, quae idcirco regnum Domini Apostolus nominavit. *Non est,* inquit, *regnum Dei esca et potus: sed iustitia, et pax, et gaudium in Spiritu Sancto* (Rom. 14,17)“[69]. Bellarminus igitur docet aequali modo ac Pius Papa XI in Litteris Encyclicis „Quas primas“, Christum regnare non solum in cordibus, sed etiam „in mentibus“ et voluntatibus fidelium[70]. Christus revera regnat *in cordibus, mentibus atque voluntatibus per fidem, spem, caritatem seu gratiam;* qua de causa regnum suum replet iustitia, pace, gaudio. His omnibus regnum Christi efficitur non temporale et terrenum, sed spirituale.

Christum regnare spiritualiter in cordibus et mentibus, potest probari ex collatis a Bellarmino *testimoniis SS. Patrum.* S. Augustinus dicit Christum regere mentes, et per fidem, spem, amorem homines perducere in regnum caelorum: „Rex Israel Christus est, quod mentes regat, quod in aeternum consulat, quod in regnum caelorum credentes, sperantes, amantesque perducat“[71]. — S. Irenaeus describens visionem Eliae, cui apparuit Dominus in figura aurae levis, sic dicit: „Ostendebatur autem et regni eius mitis et pacifica requietio. Post enim Spiritum qui conterit montes, et post terrae motum, et post ignem, tranquilla et pacifica regni eius adveniunt tempora, in quibus in omni tranquillitate Spiritus Dei vivificat et auget

---

69 *Concio 4 super Missus est.*

70 *De S. Pontifice,* lib. 3, cap. 23; cf. *AAS XVII,* 1925, pag. 595.

71 *Tractatus 50 in Joannem.* ML. 35, 1765; cf. *Auctarium Bellarminianum,* pag. 599.

hominem"[72]. Bellarminus ad hoc Irenaei testimonium dicit eum describere regnum spirituale, in quo Christus per spiritum gratiae regnet in cordibus hominum[73].

d) *De Christo Rege pacis atque eius regno pacifico*

Praeterea S. Robertus Bellarminus docet Christum esse regem pacis atque eius regnum esse pacificum. Hic dicendum est, quomodo ipse intelligat regnum Christi pacificum. Isaias Propheta praedixit Messiam futurum Principem pacis (Is. 9, 6—7)[74]. Bellarminus Christum vocat regem pacificum, qui adventu suo restituit pacem inter Deum et hominem, inter caelum et terram[75]. Fructus enim adventus Christi est iustitia in cordibus hominum per fidem Jesu Christi, et inde sequitur abundantia pacis: „quia vera iustitia in caritate consistit, caritatis autem proles est pax, et pax quam mundus dare non potest; sed vera, stabilis, et tanta copia, ut caelum et terram repleat". Haec iustitia et pax durabunt usque ad consummationem mundi. Post consummationem mundi autem iustitia fidei mutabitur in iustitiam gloriae et pax non solum erit in corde, sed etiam „in corpore interior et exterior sine ullo hoste"[76]. Tale vero regnum oportet esse spirituale. Sic enim S. Doctor dicit de regno Christi pacifico: „Potest etiam dici praedictum esse regnum pacificum, quandoquidem non est de hoc mundo, nec temporalia curat, et in hoc distingui a regno iudaico, quod bello et caedibus firmandum et conservandum fuit"[77]. Ergo Bellarminus docet Christi regnum esse pacificum; et quia non est temporale neque terrenum, ideoque spirituale.

Christum esse regem pacis eiusque regnum pacificum esse spirituale confirmant etiam *SS. Patrum testimonia.* S. Irenae-

---

72 *Contra Haereses,* lib. 4, c. 37. MG. 7, 1039; cf. *Recognitio librorum omnium,* in *De S. Pont.,* lib. 5, cap. 4.

73 *Recognitio librorum omnium,* in *De S. Pont.,* lib. 5, cap. 4.

74 *Concio 3 super Missus est.*

75 *Concio 11 de triplici Natali Domini.*

76 *Explanatio in Psalmos,* 71, 7.

77 *De laicis,* cap. 14.

us, cuius testimonium iam supra allatum est, agit de Christi regno pacifico, in quo Christus regnat per spiritum gratiae in cordibus hominum. Ipse sic loquitur: „Ostendebatur autem et regni eius mitis et pacifica requietio. Post enim Spiritum qui conterit montes, et post terrae motum, et post ignem, tranquilla et pacifica regni eius adveniunt tempora, in quibus in omni tranquillitate Spiritus Dei vivificat et auget hominem“[78].

S. Joannes Damascenus dicit Christum regem pacis spiritualiter in domo Jacob regnare: „Ut autem Rex pacis, ac princeps, et dux in Israel, non partis in oculorum sensum cadentis ratione, in Davidis patris sui solio sedere ostenditur, verum spiritualiter in domo Jacob in aeternum regnasse, nec regni finem umquam accepisse“[79].

S. Isidorus Hispalensis ait Christum esse regem pacis, quia per ipsum reconciliamur Deo: „Nomen Melchisedech Rex pacis, vel Rex iustitiae interpretatur, quod bene refertur ad Christum, ipse enim est Rex pacis, quia per ipsum reconciliamur Deo, et ipse est Rex iustitiae, quia ipse venit, ut discerneret iustos ab impiis“[80]. Ergo ex his quoque testimoniis patet Christum esse regem pacificum ipsumque regnare spiritualiter in suo regno.

e) *De propagatione regni Christi, quod est Ecclesia*

Deus constituit Christum regem super Sion montem sanctum eius (Ps. 2,6), id est, super Ecclesiam[81]. S. Hilarius ad ea verba Psalmi (2,6) sic dicit: „Non super illum utique terrenae civitatis montem comploratae, scilicet et homicidae, et parricidae Hierusalem, sed Hierusalem eius, quae in caelis est,

---

[78] *Contra Haereses*, lib. 4, c. 37. MG. 7, 1039; cf. *Recognitio librorum omnium*, in *De S. Pont.*, lib. 5, cap. 4.

[79] *Oratio II de Nativitate Virginis;* cf. *Recognitio librorum omnium*, in *De S. Pont.*, lib. 5, cap. 4. — Testimonium hoc S. Joannis Damasceni a Bellarmino allatum ipse invenire non potui in ed. Migne.

[80] *In Gen. 11.* ML. 83, 240; cf. *Recognitio librorum omnium*, in *De S. Pont.*, lib. 5, cap. 4.

[81] *Explanatio in Psalmos*, 47, 2.

quae mater est nostra, quae civitas Regis magni est"[82]. Hic est igitur sermo non de monte Sion materiali, sed de monte spirituali, cuius ille figura erat. Iam vero Ecclesia, quae Christi regnum est, dicitur mons Sion „propter eminentiam doctrinae et perfectionem vitae, quae est Ecclesia"[83]. Deus Pater etiam ordinavit Filium in regem et statuit decretum, ut Christi regnum *in totum orbem propagetur*[84]. Christus vero constitutus est rex super Sion, id est, super „populum Domini" seu Ecclesiam; hoc tamen Christi regnum non limitatur finibus Judaeae, vel Palestinae, sicuti regnum Davidis et Salomonis, sed extendendum est per omnes gentes, per omnem orbem terrarum[85]. Ergo secundum doctrinam Bellarmini Christi regnum spirituale ex divina ordinatione propagandum est in toto orbe terrarum.

Nunc quaerendum est, *quibus mediis* Christi regnum propagetur. Bellarminus dicit Christi regni propagationem quotidie impleri, dum homines convertuntur „ad fidem et oboedientiam", et sponte subiiciuntur pedibus Christi[86]. Ergo propagatur Christi regnum, cum homines libere per fidem se adiungunt Christo. Sed „ordinarie necessaria ad fidem est praedicatio". Propterea Christus „non vi et armis, sed verbo praedicationis regnum" suum colligit[87]. Et praedicatio verbi Dei est „generale instrumentum quo Christus utitur ad regnum propagandum". Ipse Christus enim a Patre constitutus est rex super Sion montem sanctum eius, „praedicans praeceptum eius" (Ps. 2,6). *Praedicatione* igitur Evangelii Christus subiicit sibi corda hominum, et omnem terram imperio suo adiungit[88]. Si Christi regnum propagatur non vi et armis, sed praedicatione Evangelii, eius regnum certe est spirituale.

---

[82] *Tractatus in Ps. 2.* ML. 9, 276; cf. *Recognitio librorum omnium*, in *De S. Pont.*, lib. 5, cap. 4.

[83] *Explanatio in Psalmos*, 47, 2.

[84] *Ibid.*, 2, 6.

[85] *Ibid.*, 2, 8.

[86] *Explanatio in Psalmos*, 109, 2.

[87] *De gratia et libero arbitrio*, lib. 6, cap. 1.

[88] *Explanatio in Psalmos*, 44, 7; cf. *Concio 13 de dominica infra octavam Nativitatis*.

Praeterea Bellarminus dicit in Novo Testamento populum Dei propagari „per spiritualem generationem ex Christo“[89]. Ex hoc sequitur Christi regnum, quia propagatur per spiritualem generationem ex Christo, esse spirituale.

Quoniam Christi regnum propagatur mediis spiritualibus, ipse Christus etiam regnat mediis spiritualibus. Sic Theophilactus claris verbis testificatur Christum regnare per praedicationem: „Sedem David non putes sensibile regnum, sed divinum, quo regnabit super omnes gentes per praedicationem“[90]. Beda Venerabilis profitetur Christum regere nos doctrina sua et vitae exemplo: „Christus Deus noster Rex secundum humanitatem, secundum quam conversatus inter homines, nos doctrina et vitae exemplo rexit...“[91]. Idem Beda explicans verba „Regnabit in domo Jacob in aeternum“ existimat Christi regnum multiplicari et confirmari per iudicium et iustitiam: „Non dixit in acquisitione gloriae gazarumque terrenarum, non in victoria gentium plurimarum, urbiumque debellatione superbarum, sed in iudicio et iustitia. Per haec enim Regnum Christi, et in singulis quibusque fidelibus, et in universa per orbem multiplicatur pariter et confirmatur Ecclesia“[92].

Quia Christus regnat spiritualiter, regnumque eius est spirituale, merito dicitur *Christi regnum etiam persecutionibus non destrui, sed illustrari*: „...persecutionibus regna temporalia facile destruunt, Christi regnum, quod est Ecclesia, non modo non destruunt, sed etiam illustrant“[93]. Christi regnum „in communi persecutione fulget ut luna plena in tenebris noctis“[94]. Ergo Christi regnum non est temporale et terrenum, sed spirituale.

---

89 *De clericis*, cap. 6.

90 *In Lucae* cap. 1. MG. 123, 703; cf. *Auctarium Bellarminianum*, pag. 599.

91 *In psalmum 5 exegesis*. ML. 93, 507; cf. *Recognitio librorum omnium*, in *De S. Pont.*, lib. 5, cap. 4.

92 *In Lucae Evangelium Expositio*, lib. 1. ML. 92, 318; cf. *Recognitio librorum omnium*, in *De S. Pont.*, lib. 5, cap. 4.

93 *De Conciliis et Ecclesia*, lib. 4, cap. 6.

94 *Explanatio in Psalm.*, 88, 36.

f) *De potestate Christi in regno suo spirituali*

Iuxta doctrinam S. Doctoris est discrimen inter potestatem regum huius mundi potestatemque Christi Regis. Ecclesia enim non est tale regnum, qualia sunt regna huius mundi, in quibus summa potestas est quidem in rege, oriunda tamen et derivata a populo, itaque „radicaliter et suppletive eadem potestas est in regno". In regnis huius mundi seu hominum potestas regis ideo derivata est a populo, quod populus facit regem, qui alioqui esset homo privatus, sicut et ceteri homines. Omnes enim homines naturaliter liberi et aequales sunt, nec unus aliis imperare posset, nisi illi se ei subiicerent et super se potestatem ei concederent[95].

Attamen in regno Christi in Christo est summa potestas, et *nullo modo a populo derivata.* Christus enim est Deus et homo; et quatenus Deus Christus est „naturaliter Dominus et Rex omnium creaturarum". Christus autem quatenus homo „habet a Deo omnem potestatem, nec ipse ab Ecclesia factus est rex, sed ipse potius fecit Ecclesiam esse suum regnum". Hac etiam de causa Christi regnum, quod est Ecclesia, ne putaretur tale, qualia sunt cetera regna huius mundi, in *S. Scriptura* comparatur familiae. Ita in Matthaeo (24,45): „Quis, putas, est fidelis servus et prudens, quem constituit dominus suus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore?" Etiam in epistola ad Hebraeos (3, 5—6): „Et Moyses quidem fidelis erat in tota domo eius tamquam famulus... Christus vero tamquam filius in domo sua". Sed constat patrem familias non habere a familia ullam auctoritatem seu potestatem, sed a se; „quia non ipse a familia constituitur pater, sed ipse facit sibi familiam gignendo filios, emendo servos"[96]. Ergo Bellarmini mens est Christum etiam ut hominem condidisse regnum suum, quod est Ecclesia, ideoque ipsum esse regem Ecclesiae, et qua talem habere regiam potestatem a se.

Christus in regno suo habet sceptrum regium: „Christus ut rex Ecclesiae habet virgam". Quae virga in Psalmo 2 (v. 9)

---

[95] *De Conciliis et Ecclesia*, lib. 2, cap. 16.
[96] *Ibid.*

„dicitur ferrea, quia est inflexibilis“[97], id est, Christus in suo regno, quod est Ecclesia, habet potestatem regendi totam Ecclesiam iuste et potentissime[98]. Christus habet *omnem* potestatem in Ecclesia, et potest „pro arbitrio“, id est, prout ipse vult et quomodo vult leges ferre, sacramenta instituere atque etiam sine sacramentis gratiam dare: „Christus regit omnem ecclesiam, quae est in caelo, in purgatorio, in terris, et quae fuit ab initio mundi et erit usque ad finem, ac praeterea pro arbitrio potest leges condere, sacramenta instituere, gratiam tribuere, etiam sine sacramentis“[99].

Hanc Christi potestatem, qua Christus etiam ut homo poterat pro arbitrio suo instituere sacramenta et sine sacramentis concedere gratiam, vocat Bellarminus *potestatem excellentiae.* Hac potestate excellentiae Christus, etiam dum in terris cum hominibus vixit, praeerat tam fidelibus quam infidelibus[100]. En S. Doctoris verba de hac potestate excellentiae: „Christus etiam dum mortalis cum mortalibus versaretur habuit potestatem, quam theologi vocant excellentiae, per quam sacramenta instituere poterat et sine sacramentis peccata remittere, et alia id genus, ad quae plenitudo potestatis pontificiae non pertingit“[101]. Summo pontifici Christus commisit solummodo „oves“, id est, fideles. Papae igitur Christus illam potestatem communicavit, quae simplici homini communicari poterat, et quae necessaria erat ad gubernandos ita fideles, ut sine impedimento vitam aeternam consequi possent[102]. Ergo Bellarminus affirmat Christum habere *summam potestatem spiritualem* in regno suo, et quidem sic dictam potestatem excellentiae, quae soli Christo convenit. Papae Christus commisit potestatem supremam spiritualem in fideles, non tamen sibi propriam potestatem excellentiae.

---

97 *De S. Pontifice*, lib. 4, cap. 16; cf. *Explanatio in Psalmos*, 73, 3.

98 *Explanatio in Psalmos*, 2, 9.

99 *De S. Pontifice*, lib. 1, cap. 9.

100 *Tractatus de potestate S. Pontificis in rebus temporalibus*, cap 27; cf. *De S. Pont.*, lib. 5, cap. 4 et *Auctarium Bellariminianum*, pag. 419. — S. Thomas etiam agit de potestate Christi excellentiae; vide *S. Th.* 3, q. 13, a. 2 et q. 64, a. 3.

101 *Tractatus de potestate S. Pont. in rebus temporalibus*, cap. 27.

102 *De S. Pontifice*, lib. 5, cap. 4.

II

REGIA CHRISTI POTESTAS EXTENDITUR AD OMNES HOMINES, ETIAM INFIDELES, ATQUE AD OMNES SPIRITUS

S. Robertus Bellarminus tribuit Christo potestatem regiam non solum in domo Jacob, quae fidelium Ecclesiam designat, sed etiam in domo Esau, id est, super multitudinem infidelium et impiorum[103]. Christus ut Deus est rex et Dominus omnium creaturarum eodem modo ac Pater eius[104], eoque ipso Christus Deus habet omnem potestatem super omnes gentes. Insuper aperte docet Christum etiam ut hominem fuisse regem *omnium hominum* spiritualem, tam *fidelium* quam *infidelium:* „fuisse praeterea Christum ut hominem regem omnium hominum spiritualem in omnes tam fideles, quam infideles in ordine ad salutem aeternam, ita ut posset eos obligare ad fidem et sacramenta sua suscipienda“[105].

Christi igitur potestas regia extenditur in omnes gentes, etiam infideles. Data est enim Christo omnis potestas in caelo et in terra (Mt. 28,18)[106]. Verba Matthaei (28,18) Bellarminus intelligit de Christo quatenus homo erat, non ut Deus. Christus enim quatenus Deus omnipotentiam ab aeterno et ex natura sua habet. Christus autem ut homo summam potestatem a Deo ex tempore et dono gratiae accepit; et quidem Christus homo accepit a Deo summam potestatem dono gratiae increatae, videlicet, vi unionis hypostaticae. Propterea Christus homo accepit summam potestatem non post resurrectionem, sed ab ipsa conceptione sua. Ideoque ante passionem S. Joannes dixit: „Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus...“ (Ioan. 13,3)[107]. *Vi unionis hypostaticae* igitur Christus homo accepit a Deo summam potestatem ita, ut omnibus creaturis praeesset

---

[103] *Concio 4 super Missus est.*

[104] *De S. Pontifice*, lib. 5, cap. 4.

[105] *Ibid.*

[106] *Explanatio in Psalmos*, 2, 8.

[107] *De Christo Capite*, lib. 1, cap. 8.

usque haberet in omnes[108]. Ergo Bellarminus probat Christum etiam ut hominem habere potestatem regiam in omnes homines, etiam *infideles;* quae quidem Christi potestas accepta a Deo in omnes homines secundum ipsum est *spiritualis* seu divina, *non* autem *temporalis*, qualem habent reges terreni. Audiamus eius verba de hac re: „Respondeo: potestatem de qua hic loquitur Dominus non esse potestatem temporalem, ut regum terrenorum, sed vel tantum spiritualem, ut B. Hieronymus[109] et B. Anselmus[110] exponunt, qui hunc esse volunt sensum eorum verborum, *Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra*, id est, ut, sicut in caelo rex sum angelorum, ita per fidem regnem in cordibus hominum, vel (ut addit Theophylactus[111]), esse potestatem quandam summam in omnes creaturas, non temporalem, sed divinam vel divinae simillimam, quae non potest communicari homini mortali“[112].

Secundum Bellarminum, quamvis Christus habeat potestatem regiam super fideles et infideles, tamen ipse *alio modo regnat* in domo Jacob, id est, *in Ecclesia fidelium*, ac in domo Esau, id est, *super multitudinem infidelium*[113]. In domo Jacob Christus gratia cordibus fidelium illabitur, „eaque sceptro atque imperio suo suaviter subiicit, sibique ea amoris et oboedientiae tributum solvere facit“. Quia hic modus regnandi Christo est *proprius*, idcirco Archangelus Gabriel solius regni super domum Jacob, id est, super Ecclesiam fidelium, mentionem faciendam esse iudicavit[114].

In domo Esau autem, id est, super infideles, Christus regnat *per iustitiam*, impios et sceleratos regit in virga ferrea,

---

108 *De Christo Capite*, lib. 3, cap. 16: „Tertio, potest locus (i. e. Mt. 28, 18) intelligi de potentia collata Christi humanitati in omnes creaturas... Nam solum illis verbis significatur omnibus creaturis Christi humanitatem praeesse, et ius habere in omnes...“

109 *Comment. in Evang. Matth.*, lib. 4, cap. 28. ML. 26, 218.

110 *Enarrationes in Matth.* 28. ML. 162, 1498.

111 *Enarratio in Ev. Matth.* 28. MG. 123, 483 sq.

112 *De S. Pont.*, lib. 5, cap. 5.

113 *Concio 4 super Missus est.*

114 *Ibid.*

et tamquam vas figuli confringet eos (Ps. 2,9). Infideles et impii iugum praeceptorum Christi per inoboedientiam excutiunt, tamen imponetur eis propter ipsorum scelera iugum poenarum et suppliciorum: „manum divinae misericordiae subterfugiunt, sed manum divinae iustitiae non effugiunt“[115]. Hic notandum est verba S. Scripturae Christum regere omnes gentes, tam fideles quam infideles, „in virga ferrea“, non significare, Dominum punire omnes gentes, sed eas pastoraliter regere[116]. Hic tamen locus recte intelligendus est, nempe Christum regere pastoraliter solummodo ante resurrectionem omnium hominum; post resurrectionem autem impii poenam pendent. Haec sunt Bellarmini verba: „Nam regere *in virga ferrea* non significat punire, quod etiam post resurrectionem fiet, sed significat regere virga pastorali, quod solum fit ante resurrectionem. Dicitur autem *virga ferrea* quia inflexibilis est ad iniustitiam“[117]. Ergo ex dictis sequitur Christum non tantum punire infideles, sed etiam eos *pastoraliter regere.*

Iam ante dictum est Christum regnare in domo Esau per iustitiam, impiosque tamquam vas figuli confracturum esse. Quid sibi vult illud „confringes“? Bellarminus arbitratur illud „confringes“ non significare actum, sed potestatem. En eius explicatio: „Illud *confringes* non significat *actum*, sed *potestatem;* id est, non significat Christum confracturum omnes gentes, sed subiectas ei futuras omnes gentes, ut possit eas pro arbitrio confringere; sive misericorditer confringendo in eis infidelitatem et peccata, et formando ex vasis contumeliae vasa honoris; sive iuste et severe confringendo eos aeternis suppliciis propter ipsorum demerita. Nam *confringes ut vasa figuli* idem significare debet quod *reges in virga ferrea;* illud autem *reges in virga ferrea* non refertur ad solam punitionem impiorum, sed ad regimen totius Ecclesiae iustum et potentissimum“[118]. Etiam ex hac Bellarmini explicatione patet Christum non solum puniendo posse regnare super infideles, sed etiam confringendo

---

115 *Concio 4 super Missus est.*

116 *De Ecclesia triumphante*, lib. 1, cap. 18.

117 *Ibid.*

118 *Explanatio in Psalmos*, 2, 9.

eorum infidelitatem et peccata, id est, pastoraliter eos sibi subiiciens per fidem et caritatem.

S. Robertus Bellarminus affirmat Christi regiam potestatem extendi non solum ad homines, tum fideles tum infideles, sed etiam ad omnes spiritus, id est, angelos et daemones: „*Omnia* quoque *subiecta sunt ei,* nulla re excepta, *praeter illum,* ut Apostolus ait (1 Cor. 15,27), *qui subiecit ei omnia.* Res autem illi praecipue subiectae, sunt primo homines, tam fideles significati per *oves et boves,* subditos et praelatos, minores et maiores, quam infideles significati per *animantia sylvestria;* deinde angeli hominibus superiores significati per *aves caeli,* quae in sublime feruntur et canunt assidue laudes Dei; denique daemones hominibus inferiores significati per *pisces maris,* qui in imis et profundissimis locis habitant, et muti sunt ad laudes Dei, et luto ac humoribus delectantur“[119]. Homines et angelos atque daemones esse subiectos Christo non solum ut Deo, sed etiam ut homini, sequitur ex textu et contextu. In textu enim agitur de Christo, cui Deus subiecit omnia. Sed Christus quatenus Deus iam naturaliter est rex et Dominus omnium creaturarum[120]. Ergo quia in textu agitur de Christo, cui Deus omnia subiecit seu dedit, intelligendus est totus textus de Christo ut homine. Res confirmatur etiam ex contextu. In principio Bellarminus concedit Christum, qui passus et mortuus est, visum esse aliquo modo minorem angelis, utpote entibus impassibilibus et immortalibus[121]. Christum autem passum et mortuum esse secundum humanam naturam[122], id est, ut hominem. Christum ut hominem igitur per passionem visum esse minoratum angelis. Nunc S. Doctor dicit: „Absolute autem semper fuit Christus angelis superior, et omni ex parte superior“[123]. Hic sequitur textus, qui supra allatus est. Ergo Christus etiam ut homo „semper“ fuit omnibus creaturis superior, ideoque sibi subiecit tam omnes homines quam omnes spiritus. Ex dictis

---

[119] *Explanatio in Psalmos,* 8, 7—8.
[120] *De Conciliis et Ecclesia,* lib. 2, cap. 16.
[121] *Explanatio in Psalmos,* 8, 7—8.
[122] *Concio 12 in festo S. Stephani.*
[123] *Explanatio in Psalmos,* 8, 7—8.

clarum est Christum etiam ut hominem habere atque habuisse potestatem regiam super fideles, infideles omnesque spiritus.

III
DE INDIRECTA CHRISTI POTESTATE IN TEMPORALIA

Bellarminus doctrinam suam de potestate indirecta exponit, cum agit de potestate papae spirituali, vi cuius summus pontifex potest disponere etiam de rebus temporalibus. Doctrinam autem Bellarmini de indirecta potestate papae ipsamque doctrinam in genere iam explicaverunt alii[124]. Nunc igitur quaedam dicenda sunt *de Christi potestate indirecta.*

Quid significatur quoad rem apud Bellarminum terminis directe et indirecte? Potestatem, quae per se et proprie spiritualis est, et ideo respicit, ut obiectum suum primarium, spiritualia negotia, Bellarminus vocat *potestatem spiritualem directam. Potestas spiritualis indirecta* vocatur illa, quae, per ordinem ad spiritualia reductive et per necessariam consequentiam, respicit temporalia, ut obiectum secundarium, ad quod tamen non convertitur haec spiritualis potestas[125]. Potestas ergo

---

[124] De indirecta potestate apud Bellarminum vide Franz Xaver Arnold, *Die Staatslehre des Kardinals Bellarmin*, München, 1934, pag. 347—360. — Cf. etiam Jacob Gemmel S. I., *Die Lehre des Kardinals Bellarmin über Kirche und Staat*, Scholastik V, Freiburg im Br., 1930, pag. 364—365. — Seb. Tromp S. I., *De evolutione doctrinae potestatis indirectae R. Pontificis circa res temporales in Controversiis S. Roberti Bellarmini*, Acta Congressus Iuridici Intern. (Romae 12—17 Nov. 1934), Vol. III, Romae 1936, pag. 95—107.

[125] *Tractatus de potestate S. Pontificis in rebus temporalibus*, cap. 5: „Explicabo breviter quid intelligamus per voces illas directe et indirecte... Igitur per voces directe et indirecte non intelligimus... potestatem spiritualem esse in Pontifice directe, id est, iuste et legitime, temporalem autem indirecte, id est, iniuste et usurpative; sed potestatem pontificiam per se et proprie spiritualem esse et ideo directe respicere, ut obiectum suum primarium, spiritualia negotia; sed indirecte, id est, per ordinem ad spiritualia, reductive et per necessariam consequentiam, ut sic loquamur, respicere temporalia, ut obiectum secundarium, ad quod non convertitur haec spiritualis potestas, nisi in casu, ut loquitur Innocentius tertius, in cap. Per venerabilem, Qui filli sunt legitimi: In aliis, inquit, regionibus, certis causis inspectis, temporalem iurisdictionem carnaliter exercemus".

spiritualis non fit temporalis, cum ipsa disponit de rebus temporalibus. Bellarminus distinguit igitur potestatem spiritualem directam, quae respicit ut primarium obiectum spiritualia, a potestate spirituali indirecta, quae respicit ut suum secundarium obiectum per se temporalia. Tamen clare adnotat potestatem spiritualem indirectam numquam posse vocari potestatem temporalem, quia *potestas spiritualis semper remanet spiritualis*. Potestatem igitur papae indirectam sic definit: „Intelligimus autem per iurisdictionem indirecte iurisdictionem, quam summus pontifex habet super temporalia in ordine ad spiritualia, quae spiritualia proprie et per se respicit eius iurisdictio“[126].

Haec potestas indirecta in temporalia Christo attribuenda est. Bellarminus statuit hoc principium: non posse dari potestatem summam spiritualem, „quae non habeat annexam potestatem temporalem aliquo modo, id est, in ordine ad spiritualia“[127]. Sed probatum est Christum etiam ut hominem habuisse summam potestatem spiritualem. Ergo ex principio a Bellarmino statuto iam a priori sequitur Christum hominem habere potestatem indirectam in temporalia.

Attaman Bellarminus affirmat etiam *explicitis* verbis Christum potuisse „per suam spiritualem potestatem disponere de omnibus rebus temporalibus, prout expedire iudicabat ad finem suum spiritualem“[128]. Alio loco dicit: „Quamvis autem hoc regnum proprie spirituale sit, et per fidem ad illud pertinere incipiamus, tamen negari non potest quin etiam ad temporalia se extendat, quatenus ad spiritualia ordinantur, ut omnes theologi confitentur“[129]. Bellarminus igitur sententiam suam de potestate Christi indirecta exponit ut communiter a theologis admissam doctrinam. Sic continuator opusculi S. Thomae *De regimine Principum* in libro tertio[130] clare affirmat Christum habere po-

---

126 *Recognitio librorum omnium*, in *De S. Pont.*, lib. 5, cap. 4.

127 *Tractatus de potestate S. Pontificis in rebus temporalibus*, cap. 5.

128 *De S. Pontifice*, lib. 5, cap. 4.

129 *Recognitio librorum omnium*, in *De S. Pont.*, lib. 5, cap. 4.

130 Bellarminus (*De S. Pont.*, lib. 5, cap. 5) dicit aliquos dubitare de auctore huius opusculi, „nam non esse sanctum Thomam eorum librorum auctorem multa ostendunt, sed praecipue id quod habetur in libro 3, cap. 20 de

testatem indirectam in temporalia: „...satis apparet, quod dominium Christi ordinatur ad salutem animae et ad spiritualia bona,... licet a temporalibus non excludatur, eo modo quo ad spiritualia ordinantur“[131]. In alio capite dicit: „Est et alia ratio, quare Dominus noster statum humilem assumpsit, quamvis Dominus mundi, ad insinuandam videlicet differentiam inter suum et aliorum principum dominium. Quamvis enim temporaliter esset Dominus orbis, directe tamen ad spiritualem vitam suum ordinavit principatum“[132]. Bellarminus haec ultima verba explicat etiam de *indirecta* potestate: „Quibus verbis significat Christum habuisse quidem dominium temporale totius mundi, sed indirecte, directe autem solum dominium spirituale“[133]. Similiter Gregorius de Valentia: „Christum non fuisse politice et temporaliter Regem ac Dominum omnium, sed proprie et per se solum spiritualiter, sic tamen ut per eam ipsam auctoritatem regiam spiritualiter potuerit disponere de temporalibus“[134].

Si Christus ergo potestatem spiritualem habuit, habuit etiam potestatem indirectam in temporalia, quoniam id requirit *ordo potestatis superioris ad inferiorem,* spiritualis ad temporalem, ita ut qui habet potestatem superiorem possit imperare potestati inferiori[135]. Potestas autem spiritualis est superior potestati temporali, nam finis potestatis spiritualis est superior fini

---

successione Adolphi et Alberti imperatorum, scribit enim auctor eorum librorum, suo tempore id accidisse, ut Adolphus Rodolpho, et Albertus Adolpho succederet. Constat autem sanctum Thomam obiisse anno salutis MCCLXXIV, Adolphum autem successisse Rodolpho anno MCCXCII et Albertum Adolpho anno MCCXCIX. Neque in his temporum supputationibus ullae sunt chronologorum dissensiones. Fieri igitur non potest, ut sanctus Thomas eorum librorum sit auctor, cum tot annis ante Adolphi et Alberti imperium de vita migraverit, nisi forte ista narratio in opere sancti Thomae ab aliquo alio postea inserta fuerit“. Cf. de hac re etiam *Risposta... ad una lettera senza nome di autore...,* propos. III.

131 *De regimine principum*, Taurini (Italia) 1924, lib. 3, cap. 13.

132 *Op. cit.*, lib. 3, cap. 15.

133 *De S. Pontifice,* lib. 5, cap. 5.

134 *Comment. in Summam Theol. S. Thomae Aq.,* Lugduni 1609, *In S. Th.* 3, q. 22, disp. 1, punct. 6; cf. *Auctarium Bellarminianum,* pag. 600—601.

135 *Tractatus de potestate S. Pont. in rebus temporalibus,* cap. 12.

potestatis temporalis. Finis potestatis spiritualis est felicitas aeterna, dum finis potestatis temporalis est felicitas temporalis, quae non est absolute ultimus finis. Ideoque felicitas temporalis referri debet ad felicitatem aeternam, ut ad finem suum. Bellarminus enim contra G. Barclajum[136] defendit ab omnibus probatam Aristotelis[137] sententiam ita facultates subordinari debere, ut subordinantur fines. Omnes inferiores causae tum efficientes tum finales sunt subordinatae ultimo et supremo fini, nempe Deo, qui est prima causa efficiens omnium rerum[138]. Quare potestas temporalis, cuius finis est felicitas temporalis, debet subordinari potestati spirituali, cuius finis est felicitas aeterna. Ergo Christo, quia potestatem spiritualem habuit, propria est etiam potestas indirecta in temporalia.

Hanc potestatem indirectam in temporalia *non repugnare* Christi *paupertati* Bellarminus sic explicat: „Neque hoc regnum verae paupertati Christi repugnat, quia aliud est habere potestatem disponendi de temporalibus in ordine ad spiritualia, aliud habere proprietatem et dominium particulare rerum temporalium. Praelati enim ecclesiastici, ac praesertim ii, qui sunt praepositi ordinum religiosorum, habent potestatem disponendi de rebus temporalibus suae ecclesiae, vel religionis, et tamen non habent dominium, vel proprietatem rerum temporalium. Sic igitur Christus, ut Rex Ecclesiae, disponere potuit de temporalibus rebus Ecclesiae, immo etiam de rebus totius mundi, et tamen vere dicere potuit, *Filius hominis non habet, ubi caput suum reclinet.* Luc. 9,58“[139].

---

136 *De potestate Papae*, Londinii 1609, cap. 14. G Barcley negat in hoc capite subordinationem finis inferioris fini superiori.

137 *Ethic.* lib. 1, c. 1

138 *Tractatus de potestate S. Pont. in rebus temporalibus*, cc. 13—14. — S. Thomas Aq. de subordinatione finium agit in *S. Th.* 1, 2, q. 1, a. 4 et *Contra Gentiles*, lib. 3, cap. 17 sq. — Navarrus in cap. *Novit. de iudiciis*, n. 9 adducit *S. Th.* 2, 2, q. 40, a. 2, ubi S. Thomas docet bella ordinari ad bonum spirituale, ut ad finem non immediatum, sed mediatum: finis enim belli carnalis immediatus est victoria et pax temporalis: sed quia haec ordinatur ad bonum spirituale, ut alia omnia temporalia, ideo dicitur bellum carnale ordinari ut ad finem, mediatum videlicet, ad bonum spirituale.

139 *Recognitio librorum omnium*, in *De S. Pontifice*, lib. 5, cap 4.

CAPUT TERTIUM

DE REGIA CHRISTI POTESTATE DIRECTA IN TEMPORALIA

I

HODIERNA DOCTRINA CATHOLICA DE REGIA CHRISTI POTESTATE DIRECTA IN TEMPORALIA

1. Doctrina de regia Christi potestate directa circa res temporales in Litteris Encyclicis „Quas primas“

Nullum dubium esse potest, quin Christus ut Deus omnium dominus et rex sit, sicut etiam, quin omnia per ipsum facta et in ipso condita sint universa, in caelo et in terra, visibilia et invisibilia (cf. Col. 1,16). Christum tamen etiam ut hominem habere imperium in omnes res creatas firmiter asserunt Litterae Encyclicae „Quas primas“ Pii Papae XI: „Turpiter, ceteroquin, erret, qui a Christo homine rerum civilium quarumlibet imperium abiudicet, cum is a Patre ius in res creatas absolutissimum sic obtineat, ut omnia in suo arbitrio sint posita“[1]. In eadem encyclica Pius XI exponit duplici fundamento niti regiam Christi potestatem, scilicet iure nativo, id est, vi *unionis hypostaticae*, et iure acquisito, scilicet *redemptionis*: „Quo autem haec Domini nostri dignitas et potestas fundamento consistit, apte Cyrillus Alexandrinus animadvertit: *Omnium, ut verbo dicam, creaturarum dominatum obtinet, non per*

---

[1] *AAS* XVII, 1925, pag. 600.

vim extortum, nec aliunde invectum, sed essentia sua et natura[2]; scilicet eius principatus illa nititur unione mirabili, quam hypostaticam appellant. Unde consequitur, non modo ut Christus ab angelis et hominibus Deus sit adorandus, sed etiam ut eius imperio Hominis angeli et homines pareant et subiecti sint: nempe ut vel solo hypostaticae unionis nomine Christus potestatem in universas creaturas obtineat. — At vero quid possit iucundius nobis suaviusque ad cogitandum accidere, quam Christum nobis iure non tantum nativo sed etiam quaesito, scilicet redemptionis, imperare? Servatori enim nostro quanti steterimus, obliviosi utinam homines recolant omnes: *Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis: ... sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi et incontaminati*[3]"[4].

Encyclica igitur generali respectu quaestionem considerat, ostendendo Christum seu Salvatorem illum, qui subsistit in natura tum divina tum humana, esse regem absolute in quovis ordine, temporali et spirituali. Unio hypostatica in encyclica consideratur ut fundamentum principale, vi cuius Christus etiam ut homo obtinet imperium, ut omnes creaturae, omnes homines et angeli debeant illi oboedire et subiici absolute. Ergo iam solo unionis hypostaticae titulo Christus etiam ut homo potestatem et ius obtinet in totum universum, quamvis noluerit dum in terris vixit hanc suam regiam potestatem exercere, prout monet encyclica: „At tamen, quoad in terris vitam traduxit, ab eiusmodi dominatu exercendo se prorsus abstinuit, atque, ut humanarum rerum possessionem procurationemque olim contempsit, ita eas possessoribus et tum permisit et hodie permittit. In quo perbelle illud: *Non eripit mortalia, qui regna dat caelestia* (Hymn. Epiphaniae)"[5]. Ergo Pius Papa XI docet simpliciter *Christum etiam ut hominem habuisse aliquam po-*

---

[2] S. Cyrillus Alex., *In Ioan.* 18, 37. MG. 74, 622.
[3] 1 Petr. 1, 18—19.
[4] *AAS* XVII, 1925, pag. 598—599.
[5] *AAS* XVII, pag. 600.

testatem in temporalia, sed illam potestatem hic in terris non exercuisse[6].

2. Doctrina nostri temporis theologorum de Christi potestate directa in temporalia

Theologi nostri temporis explicant doctrinam de potestate Christi directa in temporalia facta distinctione quadam. Omnes affirmant Christum ut Deum esse *universalem regem,* cui competat potestas in omnes res. Sed etiam Christo ut homini competit potestas directa in temporalia, quae est potestas regia in regnum politicum qua tale. Qui re ipsa et iure proprio talem potestatem regiam directam in temporalia obtinet ita, ut alii reges sint solum eius vicarii, dicitur eam habere in actu secundo seu exercere; qui eam re ipsa quidem non obtinet, sed qui ius seu potestatem habet quovis momento eam sibi assumendi et alios reges, hactenus eam iure proprio possidentes, declarandi vicarios suos vel eos deponendi, dicitur regiam potestatem habere in actu primo. Christum hominem non habuisse potestatem regiam directam in temporalia in actu secundo, id est, non exercuisse, omnes concedunt. Tamen *omnes affirmant Christum hominem habuisse potestatem regiam directam in temporalia in actu primo.*

Christum hominem vero habuisse in temporalia directam potestatem *non titulo humano,* puta quod fuit filius David, *sed titulo unionis hypostaticae,* affirmant omnes nostri temporis theologi. Vi unionis hypostaticae autem Christo homini competit omnis potestas, quae creaturae non repugnat.

---

[6] Cf. etiam S. Thomam, qui in *Summa Theologica* 3, q. 59, a. 4, ad 1 simili modo ac Pius Pp. XI docuit: „Christus autem, quamvis esset rex constitutus a Deo, non tamen in terris terrenum regnum temporaliter administrare voluit". — Cf. E. Hugon, O. P., *Doctrina Theologica de Christo Rege iuxta Encyclicam Pii Pp. XI „Quas primas" et Liturgiam novi Festi,* Angelicum, 1927, fasc. 1, pag. 5. E. Hugon sic breviter exponit S. Thomae doctrinam de potestate Christi Regis in temporalia: „1. Christum quoad ius esse etiam in ordine temporali verum regem, a Deo ipso constitutum et idcirco iure nativo seu titulo unionis hypostaticae; 2. non tamen habuisse terrenum regnum quoad exercitium et temporalem administrationem; 3. ideo non administrasse, quia noluit sua potestate seu iure uti".

Vi unionis hypostaticae ipsi humanitati Christi seu naturae humanae competit dominium quoddam universale, quod non impedit, quominus reges temporales regna mundana possideant. Christus igitur etiam ut homo particeps est potestatis Dei Patris, proindeque dominus omnium. Haec Christi ut hominis potestas directa in temporalia suadetur S. Scripturae verbis, cum ipse dicitur „Rex regum et Dominus dominantium“ eique „data est omnis potestas“.

Cum non tam usus potestatis quam potestas ipsa afferat perfectionem et maiorem gloriam, patet, cur in Christo possit esse haec potestas regia directa in temporalia sine usu. Et quoniam Christus non usus est hac potestate temporali in actu secundo, ideo Christus reliquit omnes reges huius mundi in potestate, quam ex iure nativo habent, ideo quoque non constituit eos reges suos vicarios in rebus temporalibus. Hic etiam notandum est Christum illam potestatem directam in temporalia, quam ipse in terris noluit exercere, non dedisse Romano Pontifici.

Quamvis dominium seu ius proprietatis in res creatas differat a potestate regia temporali, tamen theologi nostri temporis communiter docent idem de Christi dominio proprietatis ac de potestate regia temporali. Quod igitur dictum est de potestate Christi directa in temporalia, mutatis mutandis repetendum est quoque de hoc dominio seu iure proprietatis: in actu primo Christus ius proprietatis habet in omnes et singulas res creatas; in actu secundo Christus pauper esse voluit, et aliquarum tantum rerum dominium habuit[7].

3. Sententiae quorundam theologorum de doctrina Bellarmini relate ad potestatem Christi directam in temporalia

Quidam theologi existimant Christum ut hominem in temporalia potestatem directam etsi non exercuisse in actu secundo, in actu tamen primo habuisse (ut iam supra exposuimus).

---

[7] Cf. Iohannes Pp. XXII, *Constit.* „Cum inter nonnullos“, 13. Nov. 1323; cf. Denzinger, n. 494.

Ex altera parte ipsi nominant nonnullos antiquiores, qui hoc negare videbantur. In quorum numero etiam Bellarminus invenitur. Bellarminum sic docuisse affirmant Chr. Pesch S. I. et Paulus Galtier S. I. Chr. Pesch[8] affert Bellarmini opus *De Summo Pontifice*, lib. 5, cap. 4; P. Galtier[9] sententia fundatur opere *De Summo Pontifice,* lib. 5, cc. 4—5 et *Recognitio librorum omnium,* in *De S. Pontifice,* lib. 5, cap. 4. Inter affirmantes Christi potestatem regiam directam in temporalia enumerantur hi theologi: Molina (*De iust.,* t. I, tr. 2, disp. 28, n. 16), Suarez (*De Incarnat.* disp. 48, sect. 2, n. 7), de Lugo (*disp.* 30, sect. 1, n. 4). — Tamen Pesch et Galtier adnotant hanc controversiam fuisse solum quoad verba; quoad rem vero dissensionem non fuisse.

J. Pohle[10] dicit Bellarminum negasse Christo *quoad ius* potestatem directam in temporalia et supremum dominium omnium rerum creatarum. Idem auctor affirmat, supposita directa Christi potestate in temporalia, Bellarminum sine ulla ratione anxium fuisse, ne Romanus Pontifex eandem potestatem exerceret. J. Pohle affert sententiam Bellarmini ex opere *De Summo Pontifice,* lib. 5, cap. 4 sq. In ultima J. Pohle operis editione de novo elaborata a Michael Gierens S. I. adnotatur hanc quaestionem de directa Christi regia potestate in temporalia solutam esse per Litteras Encyclicas „Quas primas". Secundum M. Gierens igitur videtur Bellarmini doctrina de Christi regia potestate in temporalia quoad ipsam rem differre a doctrina encyclicae.

E. Hugon O. P.[11] ad verba Bellarmini ex opere *De Summo Pontifice,* lib. 5, cc. 4—5 dicit ipsum negasse Christo homini ius in imperium temporale totius mundi. Hanc suam opinionem E. Hugon sumit ex Theologis Salmanticensi-

---

8 Cf. *Praelectiones Dogmaticae.* Tomus IV: *De Verbo Incarnato,* pars II, Friburgi Br. 1922, n. 568.

9 Cf. *De Incarnatione ac Redemptione,* Parisiis 1926, n. 540.

10 Cf. *Das Königtum Christi* in *Lehrbuch der Dogmatik,* II. Bd., Paderborn, 1932.

11 Cf. *op. cit.,* Angelicum, 1927, fasc. 1, pag. 4.

bus[12], qui affirmant inter ceteros etiam Bellarminum negasse Christo potestatem seu ius in regnum temporale.

Etiam Adhémar D'Alès[13] inter auctores negantes Christo homini directam potestatem in temporalia nominat Bellarminum, innixus *Auctario Bellarminiano*, pag. 599—561, ubi a Bellarmino collecta sunt testimonia auctorum, qui negant Caristum fuisse regem temporalem.

Non solum theologi recentiores, sed etiam *coaevi* Bellarmini ipsum ponunt in numerum auctorum negantium Christo homini directam potestatem in temporalia. Sic v. gr. Franciscus de Mendoça S. I.[14] arbitratur Bellarminum in libro 5, cap. 4 *De Summo Pontifice* negasse Christo regnum universale in omnes creaturas.

Si theologi tam nostri temporis quam coaevi Bellarmini dicunt ipsum negasse Christo homini directam potestatem in temporalia, certe ipsi faciunt hoc *non sine ratione*. Tempore enim Bellarmini erat magna controversia de potestate Romani Pontificis in temporalia. Erant auctores, qui affirmabant Romanum Pontificem habere etiam directam potestatem in temporalia. S. Robertus Bellarminus autem tribuebat Romano Pontifici solam potestatem spiritualem, vi cuius tamen potest disponere de rebus temporalibus; ipse negat Summo Pontifici directam potestatem in temporalia. S. Doctor suam sententiam probat ex eo, quod ipsum dominium Christi hominis non erat temporale, atque potestas Christi regia hac in terra erat *mere spiritualis*[15]. Praeterea haec quaestio de regia potestate Christi

---

[12] Cf. Salmantic., *De Incarnatione*, disp. XXXII, dub. II. — De hoc vide A. Michel, qui etiam secundum Salmanticenses affirmat Bellarminum negasse Christo directam potestatem quoad ius in temporalia. Cf. *Dictionnaire de Théol. Cath.* VIII, pars I, col. 1356.

[13] Cf. *De Verbo Incarnato*, Paris, 1930, th. 32.

[14] Cf. *Comment. in IV libros Regum*, Venetiis 1628, Annotatio XV, sect. III, pag. 401 sq.

[15] *De S. Pontifice*, lib. 5, cap. 4. — De hac re vide Seb. Tromp S. I., *De evolutione doctrinae potestatis indirectae R. Pontificis circa res temporales in Controversiis S. Roberti Bellarmini*, Acta Congressus Iuridici Intern. (Romae 12—17 Nov. 1934), Vol. III, Romae 1936, pag. 103.

ad mentem S. Roberti Bellarmini est fundamentalis in tota controversia de potestate Summi Pontificis. Bellarminus dicit: „Nam ex hoc falso principio, quod Christus homo fuerit rex temporalis, nati sunt duo contrarii errores: hinc enim deducunt quidam tamquam ex praecipuo fundamento, papam qui est Christi vicarius esse regem et pontificem simul; e contrario autem Wiclefistae (ut refert Waldens. lib. 2. doctr. fid. art. 3. cap 76) ex hoc eodem principio deducunt, reges esse pontificibus maiores et digniores, quia reges sunt vicarii Christi regis, et pontifices vicarii Christi pontificis"[16]. Igitur secundum Bellarminum est falsum dicere Christum hominem fuisse regem temporalem. Ideoque theologi, quos supra enumeravimus, *habent fundamentum in re,* si dicunt Bellarminum negasse Christo homini directam potestatem in res temporales.

In hoc capite explicanda est Bellarmini sententia de directa Christi potestate in temporalia ex omnibus eius operibus editis. Hic conamur aperire S. Doctoris mentem, quo sensu ipse negaverit Christo ut homini directam potestatem in temporalia. Et quia Bellarminus doctrinae de potestate regia Christi tribuebat maximum valorem in controversia de potestate Romani Pontificis, ideo in explicanda eius sententia haec circumstantia praecipue est prae oculis habenda.

His praemissis transeamus ad considerationem doctrinae S. Roberti Bellarmini de Christi Regis potestate directa in temporalia.

II

DOCTRINA S. ROBERTI BELLARMINI DE REGIA CHRISTI POTESTATE DIRECTA IN TEMPORALIA

Ut possimus melius intelligere Bellarmini doctrinam de Christi regia potestate in temporalia, prius necesse est quaedam praenotare de communicatione idiomatum apud Bellarminum, atque de terminologia eius. Quoniam doctrina Bellarmini quoad rem de communicatione idiomatum est eadem ac hodierna, et

---

[16] *De S. Pontifice*, lib. 5, cap. 4.

quoniam ipse adhibet terminos nobis notos, ideo hanc quaestionem tractamus breviter. Deinde investiganda erit S. Doctoris sententia de Christi regia potestate in temporalia sub duplici respectu: de Christi potestate ut Dei eiusque potestate ut hominis. Hic bene notandum est Bellarminum habere eandem sententiam de Christi dominio omnium rerum ac de Christi regia potestate in temporalia. Hac de causa S. Doctoris doctrinam etiam de Christi dominio omnium rerum explicamus per modum unius agendo de Christi regia potestate in temporalia.

1. De communicatione idiomatum atque de terminis „Christus ut Deus" et „Christus ut homo"

a) *De communicatione idiomatum*

Bellarminus evidenter docet in Christo non dari nisi *unum suppositum*, et quidem divinum, cuius tamen veraciter sunt duae naturae. In Christo non alius est Deus, et alius homo, sed unus idemque est Deus et homo; quamvis aliud sit Deus, et aliud sit homo[17]. Doctrina communis Ecclesiae est hoc unum suppositum vel Verbi personam in natura divina et humana subsistere. Cum unio divinae et humanae naturae sit in una eademque persona divina (quae unio vocatur hypostatica), ex hac unione sequitur, ut humana tribuantur Christo Deo, et divina tribuantur Christo homini ita, ut dici possit „Deus Christus passus, mortuus, sepultus; ... homo Christus non solum Dominus universorum, sed etiam omnipotens, aeternus, caeli terrae-

---

[17] *Concio 27 in Festo Annuntiationis B. M.*, pars II: „Quis enim explicabit, immo vero, quis animo, et cogitatione consequi poterit... quanta dulcedine charitatis hodie factum sit, ut unus, et idem sit Deus et homo; et nos vere Deum Patrem et fratrem appellare possimus? Quis non obstupeat, ita Deum fieri hominem, ut neque personae multiplicentur, neque naturae confundantur, nec in humanitatem vertatur divinitas, nec divinitas absorbeat humanitatem? ...; sic etiam secunda illa persona Dei, quae naturam humanam accepit, Deus et homo verissime nominatur, et opera divina atque humana producit".

que conditor"[18]. Sed ne confundantur in Christo naturae, neve fugientes N e s t o r i u m in E u t y c h e n incidamus, cum tribuuntur humana Deo, et homini divina, recte intelligenda est *communicatio idiomatum*[19]. Communicatio idiomatum sequitur ex unione hypostatica. Tamen haec communicatio idiomatum non fit ita, ut proprietates divinae naturae tribuantur naturae humanae; et vice versa, ut proprietates humanae naturae tribuantur naturae divinae. Secundum Bellarminum igitur haec communicatio non est realis respectu ipsarum naturarum, neque mere verbalis. Communicatio idiomatum quippe est realis, sed respectu personae utriusque naturae[20]. Et Bellarminus verbis S. J o a n n i s D a m a s c e n i[21] dicit „idiomata communicari nihil aliud esse, quam proprietates utriusque naturae applicari communi hypostasi, et proinde ipsis naturis in concreto, quia concreta nomina pro supposito accipi possunt, licet formaliter naturas significent"[22]. Hac doctrina catholica statuta, Bellarminus exponit, quomodo recte de Christo praedicari possit: „...Deus est natus ex Virgine, passus, mortuus etc., quia Deus accipi potest pro quolibet supposito divino, et proinde pro supposito secundae personae, quod est simul divinum et humanum. Quod suppositum vere et realiter est Deus, et vere et realiter est homo, et proinde vere et realiter est natus ex Virgine, passus, mortuus etc. Pari ratione recte dicimus, Christus homo est omnipotens, aeternus, ubique etc. quia, h o m o, in concreto stat pro supposito humano. In Christo autem suppositum divinum et humanum unum est, et cum sit divinum, consequenter est omnipotens, aeternum..."[23].

---

[18] *Epistola apologetica Rob. Card. Bellarmini ... adversus errores Alex. Carerii Patavini*, in *Auctario Bellarminiano*, pag. 427.
[19] *Ibid.*
[20] *De Christo Capite*, lib. 3, cap. 9.
[21] *De fide orth.*, lib. 3, c. 4. MG. 94, 998.
[22] *De Christo Capite*, lib. 3, cap. 9.
[23] *Ibid.*

Ergo Bellarminus intelligit communicationem idiomatum prorsus eodem modo ac nos hodie intelligimus; quae communicatio autem est mutua praedicatio idiomatum naturae divinae de uno supposito Christi denominato secundum naturam humanam, et idiomatum naturae humanae de uno supposito Christi denominato secundum naturam divinam.

b) *De terminis „Christus ut Deus" et „Christus ut homo"*

Cum notum sit, quomodo Bellarminus explicet quaestionem de communicatione idiomatum, facile intelligere possumus, quo sensu S. Doctor terminos „Christus ut Deus" et „Christus ut homo" adhibeat. Cum enim in Christo sit una persona divina, secundum regulas communicationis idiomatum, si aliqua proprietas praedicatur de Christo ut Deo vel de Christo ut homine, semper eidem personae haec praedicatio attribuitur. Quare Bellarminus arbitratur particulam reduplicantem „ut" *non reduplicare suppositum, sed formam.* Per reduplicantem igitur particulam „ut" nihil aliud *significatur,* nisi *ea forma, secundum quam suppositum agit.* Hanc rem S. Doctor sic explicat: „Illa particula reduplicans ‚ut' non reduplicat suppositum, sed formam. Neque enim dubium est, omnes actiones esse suppositorum, sive personarum, et idcirco non ponuntur reduplicantes particulae ad notandam personam, sive suppositum; sed quia dubium esse potest, secundum quam formam suppositum agat, quando plures habet formas, ideo per reduplicantem particulam significatur ea forma, secundum quam suppositum agit. Itaque sicut qui dicit, Petrus ut musicus canit, ut medicus curat, ut homo ratiocinatur, significat illam personam, quae dicitur Petrus secundum scientiam musicam canere, secundum scientiam medicinae curare, secundum rationalitatem, ut sic loquamur, ratiocinari"[24].

Si forma reduplicata significat causam seu rationem, cur aliquid praedicetur de Christo, ad mentem Bellarmini debemus esse cauti in praedicatione proprietatum. Igitur „vere et

---

[24] *Brevis apologia Rob. Bellarmini pro libello suo de libro Concordiae lutheranorum,* in *Opera omnia,* ed. Neap., IV 2, pag. 204.

pie dicimus Christum Deum passum et mortuum; Christum autem Deum, ut Deum, id est ratione divinae naturae, passum et mortuum falso et impie diceremus. Pari ratione, vere et pie dicimus Christum hominem Creatorem ac Dominum esse rerum omnium; Christum vero hominem, ut hominem, ratione humanae naturae Creatorem ac Dominum esse rerum omnium falso et impie diceremus"[25]. „Causa enim cur Filio Dei mors tribuatur, non est divinitas, sed humanitas, et causa cur mundi creatio tribuatur homini non est humanitas, sed divinitas,..."[26].

Consequenter notandum est Christum nostrum regem et dominum non potuisse esse humilem et pauperem secundum naturam divinam. Christus igitur se humiliavit et factus est pauper secundum naturam humanam[27].

Explicatis his notionibus, investiganda est S. Roberti Bellarmini doctrina de directa Christi regia potestate in temporalia.

2. De directa Christi ut Dei regia potestate in temporalia

In omnibus S. Roberti Bellarmini scriptis invenimus stabilem doctrinam de Christi ut Dei regia potestate in temporalia. Ipse docet Christum ut Filium Dei *semper fuisse regem et dominum omnium creaturarum:* „Ajo, Christum fuisse quidem semper ut Dei Filium regem et dominum omnium creaturarum eo modo quo est Pater eius, sed hoc regnum ae-

---

25 *Epistola apologetica Rob. Card. Bellarmini ... adversus errores Alex. Carerii Patavini*, in *Auctario Bellarminiano*, pag. 427.

26 *Brevis apologia Rob. Bellarmini pro libello suo de libro Concordiae lutheranorum*, in *Opera omnia*, ed. Neap., IV 2, pag. 205.

27 *Concio 12 in Festo S. Stephani*, pars II: „..Rex noster ac dominus, *Cum in forma Dei esset*, et *non rapinam arbitraretur esse se aequalem Deo*; *tamen semetipsum*, ut ait Apostolus, *exinanivit*. Ad quem modum, Apostole beatissime? Dei formam et maiestatem amittendo? Ipsum audiamus, *Formam*, inquit, *servi accipiens, et in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo*". Et paulo post dicit regem nostrum Christum ideo humilem et pauperem factum esse, quia humilem et pauperem naturam accepit, id est, naturam humanam.

ternum esse et divinum, et nec tollere dominia hominum, nec posse pontifici convenire"[28]. Quamvis his verbis iam complectatur tota Bellarmini doctrina de directa potestate regia in temporalia, quam Christus ut Deus habet, tamen aliis quoque locis haec veritas confirmari potest.

Si dicimus Christum „ut Dei Filium" habere regnum divinum universale, sub hoc „ut Dei Filium" intelligendus est Christus, hic homo, *qui est Filius Dei naturalis*, et qua talis habet omnem potestatem in caelo et in terra[29]. Nam particula „ut" reduplicans significat formam, secundum quam suppositum agit[30], hic igitur designat naturam divinam, secundum quam una eademque persona divina agit. Itaque iuxta mentem Bellarmini Christus ut Deus, id est, haec persona divina agens secundum naturam divinam, habet dominium divinum et humanum omnium rerum creatarum[31].

Christus ut Filius Dei habet regnum divinum atque dominium universale titulo creationis: „quia ipse est, qui cum in forma Dei esset, orbem terrarum condidit, confirmavit et stabilivit, ut commoveri non posset; iustum enim est ut ipse regnet in terra, qui terram ipsam condidit"[32]. Potentia autem Christi creativa, vi cuius Christus est Dominus et Rex totius mundi, est Filio et Patri communis, quoniam Pater eam cum Filio ut Deo communicat per aeternam generationem[33]. Et quoniam hoc regnum universale divinum, quod Christus ut Filius

---

[28] *De. S. Pont.*, lib. 5, cap. 4.

[29] *Explanatio in Psalmos*, 2, 7: „Nam Christo debetur omnis potestas in caelo et in terra, quia est verus et naturalis filius Dei".

[30] *Brevis apologia Rob. Bellarmini pro libello suo de libro Concordiae lutheranorum*, in *Opera omnia*, ed. Neap., IV 2, pag. 204.

[31] *Epistola apologetica Rob. Card. Bellarmini ... adversus errores Alex. Carerii Patavini*, in *Auctario Bellarminiano*, pag. 428: „Cum igitur Carerius anathema dicit negantibus Christum habere dominium divinum et humanum rerum omnium creatarum, si de persona Christi loquitur, ut verba sonant, recte dicit, sed aerem verberat, quoniam neque Bellarminus neque theologorum ullus contradicit; Bellarminus enim, lib. V de Sum. Pontif., cap. 4, disertis verbis asseruit Christum, ut Dei Filium, semper habuisse dominium rerum omnium".

[32] *Explanatio in Psalmos*, 95, 10.

[33] *Explanatio in Psal.*, 109, 2.

Dei titulo creationis habet, est commune cum Patre, ideo hoc regnum divinum non competit ulli homini, eo ipso nec Romano Pontifici[34].

Regnum Christi divinum *non repugnat eius paupertati*, quia Christus ratione divinitatis semper fuit dives Rex regum et Dominus dominantium, etsi idem Christus ratione naturae humanae humilitatem et paupertatem verbo et exemplo docuit[35].

Attamen hoc Christi divinum et universale dominium *non tollit* regna atque dominia hominum. Christi enim dominium divinum est altioris ordinis quam regna humana, ideoque ea non tollit. Audiamus testimonia S. Joannis Chrysostomi et S. Cyrilli Alexandrini de Christi regno divino universali, quod non tollit regna humana.

S. Joannes Chrysostomus[36] explicans verba „Regnum meum non est de hoc mundo" ostendit Christi regnum esse divinum et caeleste, non humanum et terrenum, quale putaverat Pilatus, dicitque Christum fuisse regem ut Deum: „*Regnum meum non est de hoc mundo.* Erigit Pilatum et vult ostendere se non purum hominem, sed Deum et Dei filium esse... An non est mundi huius Christi regnum? quidni? quomodo inquit non esse? Non quod hoc etiam non possideat, sed quod in caelo habeat imperium non humanum, sed divinum... *Si ex hoc mundo essem, ministri mei decertarent ut non traderer Judaeis.* Ostendit in hoc loco regni nostri inbecillitatem, quod in servis habeat potestatem; supernum autem regnum sibi ipsi sufficiens et nullius indiget... Regnum suum dicit hinc non esse, non quod mundum providentia ac protectione sua privet, sed ut dixi, ut neque humanum neque caducum esse demonstret". Bellarminus igitur hoc tastimonio S. Joannis Chrysostomi de-

---

34 *De S. Pontifice*, lib. 5, cap. 4: „neque enim pontifici possumus tribuere officia, quae habet Christus ut Deus,..."

35 *De Ecclesia Triumphante*, lib. 3, cap. 6: „Adde tertio, templa dicari Christo praecipue ratione divinitatis: qua ratione semper fuit dives Rex regum et Dominus dominantium. Itaque rectissime exstruuntur illa templa magnifica, qualia Deo conveniunt, licet ipse idem in forma servi, humilitatem et paupertatem verbo et exemplo docuerit".

36 *Homil.* 83 (82) *in Ioan.* 18. MG. 59, 453; cf. X. M. Le Bachelet, *Bellarmin avant son Cardinalat*, pag. 490—491.

monstrat Christum fuisse regem ut Deum, eiusque regnum non fuisse de hoc mundo, id est, non humanum et terrenum, sed divinum et caeleste. Proinde Christi regnum non eget ullius auxilio, dum regna temporalia indigent auxilio subditorum[37].

S. Cyrillus Alexandrinus[38] explicans eadem verba „Regnum meum non est de hoc mundo" ait: „Liberavit a formidine Pilatum, qui dignitatem Caesaris in Judaea servare debebat... Christus Pilato respondens Regem se esse non negat, mentiri enim non poterat, sed regno Caesaris non esse hostem ostendit, quia principatus suus mundanus non est, sed caeli, terrae, caeterarumque omnium rerum". Bellarminus explicat hoc S. Cyrilli testimonium de Christi regno *divino*, quale convenit Deo: „Quibus verbis significat regnum suum non esse mundanum qualia sunt aliorum regum, sed esse divinum, quale convenit Deo Creatori omnium rerum"[39]. — Idem Cyrillus in Ioan. 18,37 dicit: „Cum audisset Pilatus regnum eius non esse hinc, rebellionis quidem formidine liberatur, confessionem autem regni, quamvis non mundani, culpae ac crimini tribuit"[40]. Etiam in v. v. 37 et 38 Cyrillus agit de Christi regno divino: „Tu dicis quia Rex sum ego, igitur in hoc natus sum ut testimonium perhibeam veritati. Natum, inquit, se et venisse in hunc mundum, id est, hominem factum asserit ut testimonium veritati perhiberet, id est, ut falsitatem a mundo expelleret, et diaboli tyrannide detracta, veritatem, id est, Deum regnare faceret, qui rerum omnium natura Rex est; non de foris, sed substantialiter hoc ipsum possidet"[41].

Quod Christi regnum non est mundanum, sed divinum, S. Bonaventura declarans illud „Regnum meum non est de hoc mundo" dicit: „Ait ergo Regnum meum, ad differentiam

---

[37] X. M. Le Bachelet, *op. cit.*, pag. 490—491; cf. *Recognitio librorum omnium*, in *De S. Pont.*, lib. 5, cap. 4.

[38] *Lib. XII in Ioan.* 18, 36. MG. 74, 619; cf. *Recognitio librorum omnium*, in *De S. Pont.*, lib. 5, cap. 4.

[39] *Recognitio librorum omnium*, in *De S. Pont.*, lib. 5, cap. 4.

[40] *Lib. XII in Ioan.* 18, 37. MG. 74, 622; cf. X. M. Le Bachelet, *Bellarmin avant son Cardinalat*, pag. 491.

[41] *Lib. XII in Ioan.* 18, 37—38. MG. 74, 622; cf. X.M. Le Bachelet, *op. cit.*, pag. 491.

aliorum regnorum. Est enim Regnum satanicum quo regnat diabolus. Item est Regnum mundanum, quod est infimum ordine, quia de hoc mundo, est regnum divinum, quod est sublime maiestate, quia regnum caelorum"[42].

Ex dictis evidens est Bellarminum tribuere Christo ut Deo regnum divinum *universale*, quod non impedit regna humana. Ad mentem S. Roberti Bellarmini igitur *Christus ut Deus habet directam potestatem in omnes creaturas.*

3. De directa Christi ut hominis regia potestate in temporalia

Ut iam diximus, quidam theologi Bellarminum nominant inter theologos negantes Christo ut homini regnum temporale atque directam potestatem in temporalia. Ad confirmandam suam sententiam plerumque adhibent locos ex *Controversiis de Summo Pontifice,* vol. I, lib. V, cc. 4 et 5. Hic nos conabimur ex omnibus Bellarmini scriptis dogmatico-polemicis respondere in quaestionem, quo sensu S. Doctor Christo ut homini directam potestatem in temporalia negaverit. Quoniam Bellarminus in animo non habuit specialem tractatum de regia Christi potestate componere, sed quaedam de hac re scripsit data occasione, propterea non est exspectandum, ut ipse ab initio plene suam mentem de nostra quaestione exprimat. Bellarminus autem doctrinam de Christi regia potestate tractavit proposita quaestione aliqua de potestate Romani Pontificis. Quare etiam nos investigabimus Bellarmini doctrinam de directa potestate Christi in temporalia in quadam connexione cum quaestione de potestate Romani Pontificis.

Ut clarius pateat, quid Bellarminus hac de re senserit atque quanti valeat opinio illorum theologorum, qui eum ponunt in numero auctorum negantium Christi directam potestatem in temporalia, explicamus imprimis eius sententiam propo-

---

[42] Cf. *Recognitio librorum omnium,* in *De S. Pont.,* lib. 5, cap. 4. — S. Bonaventura agit de regno Christi in *Opera omnia,* V, ed. Ad Claras Aquas (Quaracchi), 1893, collatio 66.

sitam in *Controversiarum* volumine primo libro quinto *de Summo Pontifice*, deinde in *posterioribus* eius scriptis[43].

a) *Quo sensu S. Robertus Bellarminus negat Christo ut homini regiam potestatem directam circa res temporales in libro 5 cap. 4 de Summo Pontifice?*

In hoc *capite quarto* Bellarminus demonstrat Romanum Pontificem nullius loci directe esse dominum temporalem iure divino. Romanum Pontificem non esse dominum temporalem directe ullius loci iure divino S. Doctor probat ex eo, quod etiam „Christus, ut homo, dum in terris vixit, non accepit, nec voluit ullius provinciae vel oppidi mere temporale dominium: Summus autem pontifex Christi vicarius est, et Christum nobis repraesentat, qualis erat dum hic inter homines viveret; igitur summus pontifex ut Christi vicarius, atque adeo ut summus pontifex est, nullius provinciae vel oppidi habet mere temporale dominium"[44]. Iam vero ex hac Bellarmini argumentatione sequitur Christum commisisse Romano Pontifici solummodo eam potestatem, quam ipse ut homo in hac terra habuit.

Quare Bellarminus explicat et probat ut rem maximi momenti Christum ut hominem non fuisse regem temporalem. Ipse S. Doctor praenotat quosdam affirmare Christum fuisse regem temporalem. Admisso principio Christum hominem fuisse regem temporalem, quidam deducunt papam Christi vicarium esse regem temporalem et pontificem; quidam e contrario, ex eodem principio deducunt reges esse maiores et digniores pontificibus, quia reges sunt vicarii Christi regis, pontifices autem

---

[43] Primum volumen *Controversiarum*, de quo hic agimus, editum est prima vice anno 1586 Ingolstadii. Ex posterioribus scriptis, in quibus sat clare expressa est Bellarmini sententia, haec praesertim consideranda sunt: *Risposta del Cardinale Bellarmino ad una lettera senza nome di autore sopra il breve di censure della Santità di Paolo Quinto publicate contro i signori Veneziani*, edita est anno 1606 Romae; *Recognitio librorum suorum omnium*, quam Bellarminus composuit anno 1607 Romae; *Tractatus de potestate Summi Pontificis in rebus temporalibus contra Gulielmum Barclaium*, editus est anno 1610 Romae.

[44] *De S. Pontifice*, lib. 5, cap. 4.

vicarii Christi pontificis[45]. Hi posteriores dicunt Christum magis fuisse regem quam pontificem, quia Christus *hereditaria successione* fuit rex, non pontifex: „Christus magis rex fuit, quam pontifex, nam descendit ex tribu regia Judae et familia David, non ex tribu Levi et familia Aaronis; ac proinde hereditaria successione fuit rex, non pontifex"[46]. Bene notandum est eosdem auctores intellexisse Christi hominis regnum temporale *eiusdem ordinis* cum eo, quod habent singuli reges temporales[47]. Contra hos Bellarminus negat Christo ut homini tale regnum temporale. Videamus, quomodo S. Doctor explicet et probet suam sententiam.

S. Doctor his verbis exprimit suam sententiam de Christi hominis regia potestate in temporalia: „Potuisse Christum hominem, si voluisset, et si expedire sibi visum fuisset, accipere regiam auctoritatem; tamen noluisse, et proinde nec accepisse, nec habuisse non solum exequutionem dominii et regni, sed nec auctoritatem, vel potestatem regni ullius temporalis"[48]. Hisce verbis Bellarminus *negat Christo homini* (secundum hodiernum modum loquendi) non solum *directam* regiam potestatem in temporalia in actu secundo, id est, non solum usum, sed etiam potestatem in actu primo cuiuslibet regni temporalis. Tamen ipse dicit Christum hominem „potuisse, si voluisset" accipere regiam potestatem. Illud „potuisse, si voluisset" significat Christum etiamsi de facto pauperem, sine ulla potestate regia, e propria auctoritate tamen *potuisse* fieri divitem et regem temporalem[49].

---

45 *De S. Pontifice*, lib. 5, cap. 4.

46 *Ibid.*

47 Cf. Franciscus de Mendoça S.I., *Comment. in IV libros Regum*, Venetiis 1628, Annotatio XV, sect. III, pag. 404: „Secunda opinio est extreme contraria, Christum Dominum habuisse regnum temporale proprium, et eiusdem ordinis cum eo, quod habent singuli reges. Citari possunt, nisi fallor, pro hac opinione illi omnes, qui dicunt humanos reges esse Christi Domini vicarios: nam cum hos privent propria potestate regia, eam Christo Domino attribuunt".

48 *De S. Pontifice*, lib. 5, cap. 4.

49 *De monachis*, cap. 45: „Denique, quod Christus amore paupertatis, et non ex restrictione dominii fuerit mendicus, planum est; nam quis illum coëgit fieri sub lege? Nonne sponte id ipse elegit? Quod certe poterat non eligere, si

Christum h o m i n e m non accepisse nec habuisse potestatem regni ullius temporalis, Bellarminus *probat hoc modo:* Christus homo potestatem illam directam in temporalia, si habuisset, habuisset vel ex hereditaria successione, vel electione, vel iure belli, vel dono speciali Dei; nam omnis potestas regia in temporalia acquiritur quibuslibet ex his modis. Sed Christus potestatem regiam nec hereditaria successione, nec electione populi, nec iure belli, neque dono speciali Dei acquisivit[50].

Minorem probat Bellarminus per partes. 1.) Contra adversarios suos, qui dicunt Christum hominem accepisse hereditaria successione regnum temporale, et quidem regnum eiusdem ordinis ac aliorum regum temporalium, S. Doctor demonstrat Christum n o n h a b u i s s e regnum h e r e d i t a r i u m: „nam etsi descendit ex familia regia, tamen non constat an ipse esset magis proximus Davidi, quam alii multi, qui de eadem familia erant: et praeterea tunc regnum erat ablatum a familia David, idque Deo volente, qui etiam praedixerat ex Jechoniae familia, unde Christus descendit nullum futurum regem, nimirum temporalem, eo modo quo fuerat David, et alii eius successores, Hierem. 22 (Jeremias 22, 30) de Jechonia sic legimus: *Haec dicit Dominus, scribe virum istum sterilem, virum qui diebus suis non prosperabitur. Nec enim erit de semine eius vir, qui sedeat super solium David, et potestatem habeat ultra in Juda.* Constat autem ex Matthaei 1 (v. 11) Christum descendere ex isto Jechonia“[51]. Ex quibus Bellarminus recte concludit Christum non potuisse regnum temporale habere successione hereditaria, „nisi falsa esset prophetia, quae disertis verbis praedixerat fore, ut nemo unquam deinceps haberet potestatem in Juda de posteris Jechoniae“. Insuper animadvertit posteros Jechoniae, consequenter Christum, n o n s o l u m d e f a c t o non sedisse in solio David, sed n e q u e habuisse i u s regni temporalis. „Nam ad

---

odisset paupertatem. Praeterea etiam existens sub lege, nonne poterat facile ditescere si voluisset? Nonne turbae illum regem facere voluerunt? Cur ergo non habuit, ubi caput reclinaret, et sponte non habuit, si non amabat paupertatem?“

50 *De S. Pontifice*, lib. 5, cap. 4.

51 *Ibid.*

quid illud ius, quo numquam usuri erant?"[52]. Ergo Bellarminus *negat Christo homini etiam ius regni temporalis*, id est, negat potestatem in actu primo. Talem potestatem Bellarminus negat propterea quod ipse quaestionem consideravit eo modo, quo ipsi proposita fuerit: Christum habuisse regnum temporale hereditaria successione. Ex hereditaria successione autem etiam hodie nemo admittit Christo homini regnum temporale.

Christum hominem non accepisse hereditaria successione regnum temporale, Bellarminus confirmat *ex testimoniis Patrum*: Hieronymi[53], Ambrosii[54], Augustini[55], de quibus dictum est in capite secundo.

2°) Non accepit Christus potestatem in temporalia titulo electionis. Ipse Christus dicit: „Homo, quis me constituit iudicem aut divisorem super vos?" (Luc. 12, 14). Quibus verbis Christus Dominus declaravit neque imperatorem, neque populum elegisse eum iudicem. In Evangelio S. Ioannis (6, 15) de Christo dicitur: „Jesus ergo cum cognovisset quia venturi essent ut raperent eum, et facerent eum regem, fugit iterum in montem ipse solus". Ergo Christus noluit acceptare electionem suam in regem, ideoque *noluit* acceptare directam potestatem in temporalia[56]. Tamen iuxta mentem Bellarmini Christus ut homo *potuit fieri rex temporalis, si voluisset*[57].

3°) Nec iure belli Christus fuit rex temporalis. Bellum enim Christus non gerebat cum regibus mortalibus, sed cum principe tenebrarum. Christus vicit principem tenebrarum: „Nunc princeps huius mundi eiicietur foras" (Ioan. 12, 31); „et expolians principatus et potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso" (Col. 2, 15); „In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli" (1 Ioan. 3, 8). Diabolus autem regnabat in cordibus hominum per vitia et peccata. Per

---

52 *De S. Pontifice*, lib. 5, cap. 4.
53 *Comment. lib. IV in Jerem.* cap. 22. ML. 24, 850.
54 *Expositio Evang. secundum Lucam*, lib. III. ML. 15, 1607.
55 *Tract. 115 in Ioan.* 18. ML. 35, 1939.
56 *De S. Pontifice*, lib. 5, cap. 4.
57 *De monachis*, cap. 45.

victoriam diaboli igitur Christus non accepit regnum temporale, sed spirituale, ut regnet ipse in cordibus nostris per fidem et gratiam[58].

4°) Denique non fuit Christus rex temporalis dono speciali Dei. Ipse Christus enim profitetur regnum suum non esse de hoc mundo: „Regnum meum non est de hoc mundo... regnum meum non est hinc" (Ioan. 18, 36). Secundum explicationes Joannis Chrysostomi[59], Theophylacti[60], Cyrilli Alexandrini[61], Augustini[62], Ambrosii[63] Christus his verbis voluit corrigere opinionem Pilati, qui credere poterat, eum regem temporalem Judaeorum fuisse. Itaque Bellarminus explicando illa verba Domini censet Christum fuisse regem, sed non eo modo, quo Caesarem et Herodem; „nam *regnum meum non est de hoc mundo*, id est, non constat honoribus, opibus, potentia mundana"[64]. Ergo Bellarminus considerat regnum temporale cum externo apparatu coniunctum, quale est regum temporalium huius mundi; hoc sub respectu ipse negat Christo homini regnum temporale. — Notandum est Bellarminum iure afferre Patrum testimonia ad probandum regnum Christi spirituale. Patres enim exponebant doctrinam de regno Christi spirituali, quod in se nobilissimum et christianis notissimum est. Attamen Patribus non offerebatur occasio mentem suam de hodierna nostra quaestione aperiendi.

Explicato hoc argumento patet Bellarminum negare Christo ut homini regnum temporale, quale habent alii reges temporales, id est, regnum fundatum in titulo humano ac coniunctum cum externo apparatu. Huiusmodi regnum temporale Christo homini Bellarminus iusto iure negavit. Sed S. Doctor, *quia rem consideravit ex titulo humano prout ipsi proposita erat, negavit etiam ipsam potestatem seu ius in regnum temporale.*

---

58 *De S. Pontifice*, lib. 5, cap. 4.
59 Cf. *Homil. 83 (82) in Ioan.* 18, 36. MG. 59, 453.
60 Cf. *Enarratio in Evang. Ioan.* 18, 33—36. MG. 124, 258—259.
61 Cf. *In Ioan. Evang.* 18, 36. MG. 74, 619 sq.
62 Cf. *Tract. 115 in Ioan.* 18. ML. 35, 1939.
63 Cf. *Expositio Evang. sec. Luc.*, lib. III. ML. 15, 1608.
64 *De S. Pontifice*, lib. 5, cap. 4.

Christum hominem non habuisse regnum temporale atque non accepisse potestatem in res temporales S. Robertus Bellarminus c o n f i r m a t tum *testimoniis theologorum*, tum *argumentis ex ratione.*

1°) Christus non fuit rex temporalis confirmatur *testimoniis* plurimorum *theologorum.*—Franciscus V i c t o r i a affirmat Christum non habuisse dono Dei dominium temporale, ut Judaei putabant: „Non puto Christum habuisse dono Dei dominium principum; sed Regnum ipsius fuit alterius rationis... Verum est, quod Judaei putabant Regnum Messiae esse Regnum temporale, cuius sententiae videntur esse isti, qui ei tribuunt haereditario jure Regnum Judaeorum; quod tamen Christus aperte negavit“[65].

Dominicus a S o t o his verbis negat Christo regnum temporale: „In toto Evangelio nulla fit mentio Regni Christi temporalis; igitur vanum est, ne dicam temerarium illud asserere; quoniam rem tanti momenti, si vera esset, numquam Evangelistae siluissent. Solum autem meminerunt de spirituali, quod appellatur Regnum caelorum“[66].

Bartholomaeus M e d i n a negat Christo homini dominium temporale supra totum orbem: „Christus Dominus, secundum quod homo, non habuit dominium temporale supra totum orbem; nam quotiescumque in eloquiis divinis fit sermo de Regno Messiae, commemoratio fit ut de Regno spirituali“[67].

Benedictus P e r e r i u s dicit Christum non venisse in mundum, ut regnum temporale ac terrenum possideret: „Non venit Christus in mundum, temporale ac terrenum possessurum Regnum, sed potius spirituale... Ex his palam est, Christi Regnum longe diversum fuisse a Regno Romanorum: hoc enim

---

[65] F r a n c. V i c t o r i a O. P., *Relectiones theologicae*, Lugduni 1586, *relect. I de potestate Ecclesiae*, sect. VI, n. 17; cf. *Auctarium Bellarminianum*, pag. 600.

[66] *Comment. in IV librum Sententiarum*, Venetiis 1584, dist. 25, quaest. 2, art. 2, concl. 2; cf. *Auctarium Bellarminianum*, pag. 600.

[67] *Expositio in tertiam partem D. Thomae usque ad quaestionem 60-am*, Venetiis 1582, *In S. Th.* 3, q. 59, a. 4, concl. 4; cf. *Auctarium Bellarminianum*, pag. 600.

corporale, terrenum, et temporale fuit; illud spirituale, aeternum, caeleste“[68].

Etsi horum theologorum doctrinam profundius non investigabimus, tamen ex dictis testimoniis patet eos saltem verbis negare Christo homini regnum temporale atque dominium temporale omnium rerum creatarum. Quia Bellarminus confirmat suam sententiam ex testimoniis dictorum theologorum, sequitur etiam ipsum *negasse* Christo homini regnum temporale ac dominium temporale omnium rerum.

2°) Christum non accepisse potestatem regiam in temporalia Bellarminus confirmat ex eo, quod Christus homo numquam eam exercuerit in hoc mundo. Christus enim venit ministrare, non ministrari; et iudicari, non iudicare. „Ergo frustra accepisset regiam auctoritatem; frustra enim est potentia, quae nunquam redigitur in actum“[69]. Bellarminus igitur negat hisce verbis Christo homini non solum exercitium potestatis, sed etiam regiam potestatem in temporalia. Ut supra dictum est, quaestio sic proposita erat: Christum hominem habuisse regiam potestatem in temporalia, ergo eandem potestatem datam esse Romano Pontifici; ex altera parte, Christum esse regem temporalem, et quidem titulo humano, ergo omnes alios

---

[68] *Commentaria in Danielem Prophetam*, Romae 1587, lib. VIII; cf. *Auctarium Bellarminianum*, pag. 601. — Bellarminus citat multos theologos, quos putat militare pro sententia sua. Sic in *De S. Pontifice* lib. 5, cap. 4 citat hos (quorum operum editionis locum et tempus vide in *Bibliographia, Auctores*): S. Thomas, *Comment. in Ioan.* 18, 36, lect. VI. S. Thomae testimonium de regno Christi spirituali vide supra in cap. secundo, 2, a. — S. Bonaventura, *De paupertate Christi et Apologia pauperum.* — Augustinus de Ancona, *De potestate Ecclesiae*, q. 1, art. 9. — Cornelius Jansenius, *Concordia Evangelica*, cap. 3 in Luc. 1, 32—33.—Ad. Sasbout, *Comment. in Is.* 9, 7. — Thomas Waldensis, *Doctrinale fidei*, cc. 76, 77 et 78. — Alvarus Pelagius, *De planctu Ecclesiae*, lib. 2, art 57. — Durandus, *Tract. de origine jurisdict.*, quaest. 3. — Joannes Driedo, *De dogmat. Eccles.*, lib. 3, cap. 4, par. 1. — Abulensis, *In Matth.* cap. 20, quaest. 67. — Albertus Pighius, *De Eccles. hierarch.*, cap. 3. — Adrianus Finus, *Flagellum Jud.*, lib. 5, cap. 6. — Navarrus, in cap. *Novit*, notab. 3, num. 79.

[69] *De S. Pontifice*, lib. 5, cap. 4.

reges temporales esse Christi vicarios. Quare non mirum est, si Bellarminus non considerans alium titulum Christi regiae potestatis, puta unionem hypostaticam, omnino negat Christo ut homini potestatem regiam directam temporalem in temporalia. Ideoque adhibet ipse hoc principium: „frustra est potentia, quae nunquam redigitur in actum", quod principium adhibet certe non sine influxu aliorum[70]. In aliis enim suis scriptis Bellarminus praedictum principium non defendit. Ipse clare docet aliud esse potestatem aliudque usum potestatis[71]. Praeterea Christum non omnia quae potuisse, fecisse censet[72]. Ergo secundum Bellarminum potest dari aliqua potentia vel potestas etiam *sine usu.*

3°) Christum hominem non habuisse regiam potestatem, scilicet temporalem in temporalia, Bellarminus confirmat eo, quod illa potestas regia non fuerit „Christo necessaria, neque utilis, sed plane supervacanea et inutilis; nam finis adventus eius in mundum erat redemptio humani generis: ad hunc autem finem non erat necessaria temporalis potestas, sed solum spiritualis; si quidem per ipsam spiritualem poterat etiam disponere de rebus temporalibus omnibus eo modo, quo judicabat expedire ad humanam redemptionem. Quod autem inutilis fuisset Christo talis potestas mere temporalis, ex eo intelligi potest, quod Christus debuit hominibus persuadere contemptum gloriae, deliciarum, opum et omnium rerum terrenarum, quibus tamen maxime affluunt reges huius mundi: *Qui enim mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt,* Matth. 11, 8"[73]. Ergo Bellarminus *negat* Christo *directam regiam potestatem temporalem*

---

[70] Cf. Franc. Victoria O P., *op. cit.*, qui in *Relectione I de potestate Eccl.*, sect. VI, n. 18, probans rationis argumento Christum non habuisse potestatem in temporalia, dicit: „Et ratione probari potest, quia non est usus ea potestate, et frustra est potentia, quae non reducitur ad actum".

[71] *Tractatus de potestate S. Pontificis in rebus temporalibus*, cap. 5: „Denique illo tempore deerat usus potestatis huius in principes, quia nulli erant: sed potestas ipsa non deerat: aliud enim est potestas, aliud usus potestatis".

[72] *De gratia et libero arbitrio*, lib. 3, cap. 16: „Poterat Christus orare Patrem, ut mitteret ad se plusquam duodecim legiones angelorum, et Pater mittere poterat: et tamen neuter fecit, quod poterat facere".

[73] *De S. Pontifice*, lib 5, cap. 4.

in temporalia, quia talis potestas non erat necessaria aut utilis ad finem Christi spiritualem. Hodie tamen theologi communiter explicant Christum habuisse directam potestatem, scilicet temporalem in temporalia, sed, quia talis potestas fuerit inutilis ad finem spiritualem, ideo eam non exercuisse.

4°) Christum non fuisse regem temporalem confirmat Bellarminus ex eo, quod Christus homo vere pauper fuerit, non solum quoad usum, sed etiam quoad dominium[74]. Secundum Bellarminum habere dominium alicuius rei idem est ac posse rem destruere et quidem non quocumque modo, „sed posse libere destruere, quando, ubi, quomodo quis voluerit, et etiam donare, vendere, commutare"[75]. Potest igitur aliquis religiosus habere usum rei, sed non potest illam rem donare, vendere, mutare, proiicere[76].

Christus paupertatem omnimodam docuit verbo: „Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris; non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam" (Mt. 10, 9—10). Christus Dominus paupertatem ostendit exemplo suo: „Filius hominis non habet ubi caput reclinet" (Mt. 8, 20). S. Bonaventura[77] adnotat Christum his verbis locutum esse de proprietate sive dominio; nam de facto habuit ubi caput reclinaret, in domibus scilicet eorum qui illum hospitio recipiebant. Mulieres ministrabant Christo de facultatibus suis (Luc. 8, 3)[78]. Tunc igitur Christus cum apostolis sine loculis vivebat ex solis fidelium eleemosynis. Sed Christus etiam alterum vitae genus exemplo suo docuit. Teste S. Scriptura (Ioan. 13, 29 sq.) scimus Christum habuisse loculos, ex quibus in communi cum discipulis vivebat, et habuit dominium in communi earum pecuniarum[79].

---

74 *De S. Pontifice*, lib. 5, cap. 4.
75 *De S. Pontifice*, lib. 4, cap. 14.
76 *Ibid.*
77 Cf. *Opera omnia*, tom. V, Ad Claras Aquas (Quaracchi) 1893, *De perfectione Evangelica*, q. 2, art. 1.
78 *De S. Pontifice*, lib. 5, cap. 4. Cf. *Auctarium Bellarminianum*, pag. 418 sq.
79 *De S. Pontifice*, lib. 4, cap. 14.

Christi paupertatem demonstrat Bellarminus etiam ex *documentis Pontificum.* Nicolaus Papa III[80] definit Christum docuisse verbo et exemplo paupertatem religiosorum, quae consistit in abdicatione omnium rerum, nullo sibi dominio relicto, nec in particulari, nec in communi. Clemens Papa V[81] dicit Christum fuisse exemplar caelestis vitae, et caelestem illam vitam descriptam esse in regula S. Francisci. At Nicolaus III et Clemens V non negant Christum aliquando habuisse aliquid proprii saltem in communi; sed ipsi negant semper talem vitam Christum egisse[82]. His non repugnat Joannes Papa XXII[83], qui etsi contendit Christum habuisse aliquando loculos et dominium in communi cum apostolis earum pecuniarum, quae ipsis dabantur in eleemosynam, non negat tamen aliquando Christum nihil habuisse, ne in communi quidem. Idem Pontifex aperte docet Christum exemplo docuisse vitam religiosam, quae caret omni dominio saltem in particulari[84]. Probata Christi paupertate Bellarminus sic concludit: „Quod si Christus caruit aliquando omni dominio; quomodo fuit semper Dominus temporalis omnium rerum?"[85].

Ergo Bellarminus propter Christi paupertatem negat ei dominium temporale omnium rerum; ipse negat Christo ut homini non solum usum temporalis dominii, sed etiam ipsum temporale dominium. Tamen ad mentem Bellarmini Christus etiam ut homo, id est, Christus homo qua homo, si voluisset, potuiset habere dominium humanum omnium rerum[86].

---

80 *Const.* „Exiit", Sexti decretalia lib. V, titulus XII, cap. III, in *Corpus Iuris Canonici*, II, 1109, Leipzig, 1881.

81 *Clement.* „Exivi", lib. V, tit. XI de verborum signific. cap. 1, in *Corpus Iuris Canonici*, II, 1193.

82 *De S. Pontifice*, lib. 5, cap. 4; cf. *ibid.*, lib. 4, cap. 14.

83 *Extravag.* „Quia quorumdam". — Cf. Denzinger, n. 494.

84 *De S. Pontifice*, lib. 5, cap. 4; cf. *ibid.*, lib. 4, cap. 14.

85 *De S. Pontifice*, lib. 5, cap. 4.

86 *Epistola apologetica... adversus errores Alex. Carerii Patav.*, in *Auctario Bellarminiano*, pag. 428: „Sin autem de natura humana loquatur, ut velit Christum hominem, qua homo est, id est ratione humanae naturae, habuisse dominium rerum omnium, idque non ratione spiritualis potestatis, nec solum po-

5°) Christum non habuisse regnum temporale Bellarminus confirmat eo, quod in S. Scriptura agatur de regno Christi spirituali et aeterno. Regna temporalia autem, prout habentur a regibus huius mundi, non sunt aeterna. Christus igitur non erat rex temporalis, neque eius regnum temporale[87]. Quia Bellarminus hic considerat regnum temporale eiusdem ordinis ac aliorum regum huius mundi, proinde tale regnum temporale Christo homini negat.

Explicata Bellarmini doctrina de regia Christi potestate in libro quinto capite quarto *De Summo Pontifice*, patet S. Doctorem eo loco negasse Christo ut homini directam potestatem regiam in temporalia. Bellarminus igitur negat in illo capite quarto Christo homini non solum exercitium temporale regni temporalis seu potestatem directam temporalem in actu secundo, sed etiam *ipsam potestatem* seu *ius*. Praeterea Bellarminus in capite quinto verba continuatoris opusculi S. Thomae *De regimine principum:* „Est et alia ratio, quare Dominus noster statum humilem assumpsit, quamvis Dominus mundi, ad insinuandam videlicet differentiam inter suum et aliorum principum dominium. Quamvis enim temporaliter esset Dominus orbis, directe tamen ad spiritualem vitam suum ordinavit principatum“[88] explicat de indirecta Christi potestate. Alii autem theologi eadem verba explicant de directa Christi potestate in temporalia, quam Christus ut homo non exercuit.

Ratio, cur Bellarminus negaverit Christo ut homini regnum temporale atque directam potestatem in temporalia, iam indicata est. Quaestio enim sic proposita erat: Christus ut homo erat rex temporalis, ergo etiam Romanus Pontifex ut Christi vicarius est rex temporalis atque pontifex simul; ex altera parte, Christus erat rex temporalis, et quidem eius regnum erat

---

tuisset habere, si voluisset, quod nos libenter damus, sed re ipsa suscepisse et habuisse temporale dominium rerum omnium, tunc sane non Bellarmino solum anathema dicit Carerius...“

[87] *De S. Pontifice*, lib. 5, cap. 4.

[88] *De regimine principum*, lib. 3, c. 15. — Cf. *De S. Pontifice*, lib. 5, cap. 5.

eiusdem ordinis ac aliorum regum huius mundi, quia regnum accepit titulo humano, — ergo omnes alii reges temporales sunt vicarii Christi. Bellarminus igitur explicans doctrinam de regno Christi temporali, in mente habebat regnum temporale eiusdem ordinis ac aliorum regum, quod accipitur humano titulo, id est, hereditaria successione, electione, iure belli, donatione (prout supra expositum est; cf. pag. 85 sq.). Quare S. Doctor negavit Christo ut homini regnum temporale fundatum titulo humano ac coniunctum cum externo apparatu. Bellarminus enim non consideravit aliquem alium titulum, puta unionem hypostaticam, vi cuius Christus aliquod regnum aut dominium universale omnium rerum creatarum habeat, quia sub hoc respectu proposita non erat quaestio. — Quoniam Christus ut homo mortalis non habuit regnum temporale et dominium omnium rerum, concludit Bellarminus in contrarium quaestioni propositae etiam Romanum Pontificem regnum temporale non habuisse: „Sequitur igitur evidenter ex eo, quod Christus, ut homo mortalis, non habuit ullum temporale regnum, nec pontificem ut Christi vicarium tale aliquod regnum habere“[89].

Attamen Bellarminus in eodem libro quinto *De Summo Pontifice* manifestat etiam sibi propriam sententiam de potestate Christi regia in temporalia. S. Doctor quamvis negaverit Christo homini *potestatem actualem directam in temporalia, etiam sine usu, tamen* ipse censet „potuisse Christum hominem, si voluisset“ accipere regnum temporale ac potestatem directam in temporalia. Itaque ad mentem Bellarmini Christum etiam ut hominem potuisse dare Petro, eoque ipso Romano Pontifici directam potestatem in temporalia, sed noluisse. Christum enim voluisse ad conservandam humilitatem pontificem indigere imperatoris defensione in temporalibus et simul imperatorem indigere pontificis directione in spiritualibus[90] Praeterea Christus homo non auferebat regna iis, qui illa possidebant. Christus potuit quidem reges temporales privare suis

---

[89] *De S. Pontifice*, lib. 5, cap. 4.—Ergo J. Pohle, *op. cit.*, non sine ratione adnotat Bellarminum anxium fuisse ne Romanus Pontifex potestatem in temporalia directe exerceret.

[90] *De S. Pontifice*, lib. 5, cap. 10.

regnis, ita ut reges non essent amplius veri domini, sed vicarii Christi; ipse tamen noluit regna temporalia sibi assumere, nam finis sui adventus fuit non temporalis: „Non eripit mortalia, qui regna dat caelestia“[91].

Quoad Bellarmini sententiam Christum etiam ut hominem „potuisse, si voluisset“, accipere directam potestatem in temporalia, adhuc non est sat clarum, quo sensu illud „potuisset, si voluisset“ intelligi oporteat, quia ipse ex professo non explicat, quo titulo Christus ut homo „potuisset, si voluisset“ accipere directam potestatem in temporalia. Ergo explicanda sunt haec omnia ex reliquis Bellarmini scriptis, praesertim e scriptis posterioribus.

b) Doctrina S. Roberti Bellarmini de directa Christi ut hominis potestate circa res temporales in scriptis eius posterioribus

Bellarminus postquam explicavit suam sententiam de Christi regno in libro quinto capite quarto *De Summo Pontifice*, coaevi ipsius nostrum Doctorem statim posuerunt in numerum theologorum negantium Christo ut homini quoddam regnum temporale ac dominium omnium rerum creatarum[92]. Quia erat controversia inter theologos de directa Christi regia potestate, disceptabatur enim de Bellarmini sententia quoad hanc quaestionem, propterea ipse S. Doctor recognoscens librum quintum caput quartum *De Summo Pontifice* clarius suam sententiam aperuit. Bellarminus tamen dicit se credere de regno Christi in libro quinto capite quarto *De Summo Pontifice* recte scripsisse. Etenim ipse putat non posse regnum Christi temporale sic defendere, ut vera eius paupertas negetur; et e contra, non quoque posse sic Christi paupertatem propugnare, ut verum eius regnum oppugnetur[93]. Aliis verbis, ad mentem Bellar-

---

91 Hymnus Epiphaniae ad Vesp.; cf. *De S. Pont.*, lib. 5, cap. 3.

92 Cf. Franc. Mendoça S. I., *op. cit.*, pag. 401 sq.

93 *Recognitio librorum omnium*, in *De S. Pont.*, lib. 5, cap. 4. — Bellarminus recognoscens lib. 5, cap. 4 *de S. Pont.* his verbis profitetur se recte scripsisse de regno Christi, sed propter controversiam velle clarius suam senten-

mini, ut iam supra explicavimus, non potest defendi *titulo humano* regnum Christi temporale eiusdem ordinis ac aliorum regum huius mundi.

In controversia de regno Christi temporali Bellarmino proposita erat quaestio etiam ita: Christo homini regnum temporale ac dominium omnium rerum attribuendum est titulo unionis hypostaticae, non titulo humano, puta hereditaria successione, electione, iure belli, donatione Dei[94]. Christum ut hominem autem habuisse titulo unionis hypostaticae regnum quoddam universale, quod non tollit regna aliorum regum temporalium, Bellarminus non negat.

Nunc transeamus ad considerationem doctrinae Bellarmini de regno Christi temporali atque de directa potestate in temporalia, quam Christus ut homo titulo unionis hypostaticae habeat. Videamus, quomodo S. Doctor regnum temporale ac dominium universale explicet.

Bellarminus cum Cardinale Cajetano disertis verbis attribuit Christo etiam ut homini (seu Christo homini qua homini) ratione unionis hypostaticae dominium omnium rerum atque regnum universale, quod dominium ac regnum

---

tiam aperire: „De regno Christi scripsi, quae vera esse credidi, atque etiam nunc credo. Sed quia dum recognoscerem, acriter de hac re inter scriptores disceptabatur, operae pretium esse duxi paulo clarius, et fusius meam sententiam aperire. Igitur cavendum esse censeo piis hominibus, ne sic regnum Christi temporale defendant, ut veram eius paupertatem negare videantur, atque eo modo ingrati sint magnae illi gratiae, de qua dicit Apostolus ad Corinthios: *Scitis gratiam Domini nostri Jesu Christi, qui propter vos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia vos divites essetis*, 2 Corinth. 8 (v. 9). Et contra ne sic paupertatem Christi propugnent, ut verum eius regnum oppugnent, eo modo desinant in ipsius regno partem habere".

[94] *Censura in Controversias Bellarmini*, in *Auctario Bellar.*, pag. 418: „Lib. 5, de Rom. Pontif., cap. 4, fol. 1064 (1088—1089) negat Christo dominium temporale, cum tamen hoc regnum sub illo sit inclusum quod titulo unionis hypostaticae in omnes res creatas illi convenit...; id quod negat propter rationem debilissimam, videlicet, quia nec illud habuit ex haereditaria successione, nec ex electione, nec jure belli, nec dono speciali Dei; nam illud habuit titulo unionis hypostaticae, sicut alias similes dignitates summi sacerdotis, capitis, virtutem efficiendi miracula, constituendi sacramenta, etc."

arbitratur esse simile dominio divino. S. Doctor Christi ut hominis regnum universale non vocat regnum temporale, quia ipse regnum temporale considerabat eiusdem ordinis ac aliorum regum huius mundi. En Bellarmini explicatio de regno Christi universali ac dominio omnium rerum: „Recte Cajetanus admonet in Commentario primi capitis epistolae ad Hebraeos, hoc dominium convenire Christo homini ratione divinae filiationis, non ratione humanae, ille enim homo Christus, quia vere est Filius Dei naturalis, est haeres universorum sine ulla exceptione, quamvis autem Christus non habeat ex humana filiatione dominium universale, habet tamen Christi humanitas ex donatione Patris, ratione hypostaticae unionis, dominium quoddam universale, simile dominio divino, quod non tollit dominia particularia, sed ea conservat, et in hoc dominio fundatur jus illud, quo potuisset, si voluisset regna omnia sibi assumere, ut etiam in libro nostro diximus“[95]. Hisce in verbis habemus fere plene expressam Bellarmini sententiam de regia Christi potestate in temporalia. Necesse est tamen eius sententiam ex aliis locis explicare.

S. Robertus Bellarminus positive attribuit dominium quoddam universale Christo non solum ut Filio Dei, qui est naturaliter Dominus omnium creaturarum, sed etiam Christo ut homini (seu Christo homini qua homini). Heres universorum, ut explicat Cajetanus[96], Christus constituitur secundum naturam humanam. Bellarminus igitur cum Cajetano agnoscit Christi naturae humanae seu ipsi humanitati Christi dominium quoddam universale. Tamen Bellarminus recte addit

---

[95] *Recognitio librorum omnium*, in *De S. Pont.*, lib. 5, cap. 4.

[96] *Epistolae Pauli et aliorum Apostolorum cum Actis*, Lugduni 1558, *Comment. in epist. ad Hebr.* cap. 1: „deinde conditiones huius filii adiungit: Quorum prima est, *quem constituit haeredem universorum.* Et haec proprie spectat ad filium secundum quod homo, ex ratione tamen divinae filiationis. Constitui enim haeredem, hominis est: constitui autem haeredem universorum, est quidem hominis, sed hominis filii dei. Ex eo nanque quod est filius dei convenit eidem quod ipsemet homo constituatur haeres universorum. ita quod naturale ius filiationis parit in eadem hypostasi homine ius haereditandi universa, absque exceptione aliqua. Duas itaque naturas implicite Paulus significat in filio dei: alteram qua est filius dei: alteram secundum quam constituitur haeres universorum“.

Christi humanitatem habere dominium universale ex donatione Patris, ratione unionis hypostaticae. Christus igitur habet in omnes res potestatem universalem ratione unionis hypostaticae, quia unione illa Christus, ut hic homo, est Filius Dei naturalis[97]. Et quia Christus homo habet hoc dominium omnium rerum ratione unionis hypostaticae, patet Christum accepisse hoc dominium atque regnum universale eo tempore, quo facta est unio hypostatica, — ab initio igitur conceptionis[98].

In hoc dominio universali iuxta verba Bellarmini fundatur „ius illud, quo potuisset Christus, si voluisset regna omnia sibi assumere". In libro quinto capite quarto *De Summo Pontifice* Bellarminus, ut dictum est, non explicavit, quo titulo Christus „potuisset, si voluisset" assumere sibi regna temporalia; nunc autem dicit Christum ratione *unionis hypostaticae* habere ius seu potestatem regna omnia temporalia sibi assumere. Cum Bellarminus igitur considerat quaestionem de directa Christi potestate in temporalia ex titulo unionis hypostaticae, non negat „Christo potestatem in omnes res temporales, quam habuit ut caput hominum et angelorum, sed negat eam potestatem fuisse dominium mere temporale, quale est regum et principum huius mundi"[99].

Proposita clare quaestione de directa Christi potestate in temporalia, Bellarminus agnoscit Christo etiam ut homini illam

---

97 Id concluditur collatis duobus locis: *Recognitio librorum omnium*, in *De S. Pont.*, lib. 5, c. 4 et *Explanatio in Psalmos*, 29, 9.

98 *Recognitio librorum omnium*, in *De S. Pont.*, lib. 5, c. 4. — Cf. Theophilum Raynaudum S. I., *De Attributis Christi*, tom. II, Lugduni 1665, sect. IV, cap. I, qui dicit Bellarminum in lib. 5 cap. 4 *De S. Pont.* negasse aliquod regnum temporale, sed in recognitione huius loci iam attribuisse Christo dominium temporale: „Bellarminus qui l. 5. de Pontif. c. 4. temporale quodvis regnum abrogat Christo recognoscens caput illud, fatetur cum Cajetano in c. 1. ad Hebraeos, fuisse in Christo dominium temporale, directum supernaturale, et expers externi apparatus, quale dumtaxat nunc Christo damus. Nec id se negasse citato loco, ait, tantum autem negasse dominium iurisdictionis humano titulo nixo, et cum eo apparatu et pompa conjunctum, quam in saecularibus regnis habere solet".

99 *Censura in Controversias Bellar. et responsio*, in *Auctario Bellarminiano*, pag. 418—419.

directam potestatem. G. **Barclajus**[100] negavit Summum Pontificem posse iudicare et deponere principes temporales. Barclajus hoc modo probat Summum Pontificem non habere potestatem deponendi principes temporales: „quia suprema illa Christi jurisdictio, et potestas temporalis in reges omnes, et mundum universum quam habet, ut Dei Filius, non competit ecclesiae, vel pontifici, sed tantum illa potestas, quam Christus sibi assumpsit, dum inter homines humano more versaretur: at Christus nullum temporale dominium et potestatem usurpavit dum in terris, ut homo inter homines ageret, ac proinde neque ecclesia, ut ecclesia, neque papa, ut caput ecclesiae, et vicarius Christi ullam temporalem potestatem habuit, ut pluribus explicat, et probat idem vir doctissimus lib. 5, c. 4"[101]. Barclajus igitur agit de directa Christi hominis potestate in temporalia. Bellarminus concedit Summum Pontificem non habere potestatem eam in temporalia, quam habet Christus ut Filius Dei. Ipse defendit tamen Summo Pontifici potestatem eam, quam Christus ut homo hac in terra *de facto* habuit, id est, potestatem *spiritualem,* vi cuius possit disponere de rebus temporalibus; sed negat Summo Pontifici eam potestatem, quam Christus homo hac in terra non exercuit, id est, potestatem directam in temporalia[102]. Et hac occasione S. Doctor clare aperit suam sententiam de Christi ut hominis potestate in temporalia, quam, ut vidimus, in libro quinto capite quarto *De Summo Pontifice* negavit: „Christus, quamvis noluerit ullum temporale regnum eripere iis, qui ea possidebant, idque vel sibi assumere, vel aliis tradere; tamen qui negat potuisse Christum id facere, Evangelium ipsum negat: quid enim est quod idem Christus dicit Joan. 13 (v. 3) *Dedit ei omnia Pater in manus?* Si habuit omnia in manus (manibus), certe super omnia potestatem ha-

---

[100] Cf. *De potestate Papae,* Londinii 1609, cap. 24.

[101] *Tractatus de potestate S. Pont. in rebus temporalibus,* cap. 24.

[102] Cf. *Risposta... ad una lettera senza nome di autore...,* prop. III. Cf. etiam *Tract. de potestate S. Pont. in rebus temporalibus,* cap. 25. Bellarminus in hoc capite dicit Christum non dedisse Petro eam potestatem in temporalia, „quae sit in se proprie, et formaliter temporalis", id est, potestatem directam in temporalia.

buit: si super omnia potestatem habuit, cur non potuit de temporalibus rebus omnium hominum disponere? Item Joan. 17 (v. 2) idem Dominus ait Patri, *Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis*. Ubi per omnem carnem omnes homines intelliguntur. Habuit igitur Christus homo in terris potestatem super omnes homines, ac per hoc super imperatores etiam, et reges, potuitque eos, si voluisset, judicare, punire, regnis imperiisque privare"[103]. Ergo Bellarminus disertis verbis dicit Christum etiam ut hominem habuisse potestatem super omnia. Et si Christus habuit potestatem super omnia, „potuit de temporalibus rebus omnium hominum disponere", ideoque *potestate absoluta* potuit reges temporales deponere, si voluisset. Haec potestas autem respicit, sine dubio, directe res temporales.

Christum ut hominem habuisse regnum universale seu dominium omnium rerum atque directam potestatem in res temporales Bellarminus explicat etiam ex verbis *S. Scripturae*. Ita igitur intelligenda sunt sequentia S. Scripturae verba de dominio universali ac potestate universali directa in temporalia. „Omnia mihi tradita sunt a Patre meo" (Mt. 11, 27); „...omnia dedit ei Pater in manus" (Ioan. 13, 3); „Quem constituit heredem universorum" (Hebr. 1, 2); „Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis" (Ioan. 17, 2); „Et habet in vestimento et in femore suo scriptum: *Rex regum, et Dominus dominantium*" (Apoc. 19, 16)[104]. Bellarminus etiam verba Domini „Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra" (Mt. 28, 18) intelligit dicta esse de Christo ut homine. Christus autem ut homo summam potentiam accepit a Deo dono gratiae increatae, videlicet, vi unionis hypostaticae. Propterea Christus homo accepit summam potestatem non post resurrectionem primum, sed ab ipsa conceptione sua[105]. Igitur vi unionis hypostaticae Christus

---

[103] *Tractatus de potestate S. Pont. in rebus temporalibus*, cap. 24. — Cf. *De translatione Imperii Romani... adversus M. F. Illyricum*, lib. 1, c. 12. Ubi Bellarminus contra Illyricum agit simili modo de Christi hominis directa potestate in temporalia. Ipse dicit: „Neque idcirco non fuit Christus rex temporalis, nec lites terrenas judicavit, quia non potuit, sed quia noluit".

[104] *Recognitio librorum omnium*, in *De S. Pont.*, lib. 5, c. 4. — Cf. *Risposta... ad una lettera senza nome di autore*, propos II.

[105] *De Christo Capite*, lib. 1, cap. 8. — Vide supra pag. 60—61.

homo accepit a Deo summam potestatem ita, ut omnibus creaturis praeesset et ius haberet in omnes[106]. Hanc Christi hominis potestatem, quae exprimitur verbis „Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra“, Bellarminus censet non solum esse potestatem spiritualem, sed etiam, — prout addit Theophylactus[107], — esse potestatem quandam *universalem summam in omnes creaturas*, similem potestati divinae[108].

Ad mentem Bellarmini Christus ut homo potestatem in temporalia non exercebat hac in terra. S. Doctori quaestio proposita erat sic: Christus homo ante suam mortem „non exercuit potestatem principis temporalis“[109]. Bellarminus respondet verum esse Christum in quantum hominem mortalem non exercuisse in hoc mundo potestatem principis temporalis. Ratio, cur Christus non exercuerit potestatem principis temporalis, est finis spiritualis eius adventus. Proinde Christus venit in hunc mundum ad patiendum, serviendum, docendum contemptum rerum mundanarum, dandumque exemplum humilitatis et oboedientiae[110]. „Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, et dare animam suam redemptionem pro multis“ (Mt. 20, 28); „Filius hominis non habet ubi caput reclinet“ (Luc. 9, 58); „Discite a me, quia mitis sum et humilis corde“ (Mt. 11, 29); „Scitis enim gratiam Domini nostri Jesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia vos divites essetis“ (2 Cor. 8, 9); „Humiliavit semetipsum, factus oboediens usque ad mortem, mortem autem crucis“ (Phil. 2, 8)[111]. Hoc loco Bellarminus non concludit eodem modo, quo in libro quinto capite quarto *De Summo Pontifice:* „Christus nunquam exercuit in hoc mundo regiam potes-

---

106 *De Christo Capite*, lib. 3, c. 16.

107 Cf. *Enarratio in Evang. Matth.* 28. MG. 123, 483 sq.

108 *De S. Pontifice*, lib. 5, cap. 5.

109 *Risposta... ad una lettera senza nome di autore...*, propos. II.

110 *Ibid.*: „Dico dunque, che è vero che Cristo in quanto uomo mortale, non esercitò in questo mondo la potestà di principe temporale, perche venne, come esso disse, per patire, per servire, per insegnare al mondo il dispregio della roba, e degli onori, e con esempio d'umilità ed obbedienza, monstrare a superbi, e disobbedienti la vita del paradiso“.

111 *Ibid.*

tatem: ...ergo frustra accepisset regiam auctoritatem; frustra enim est potentia, quae nunquam redigitur in actum". Hic S. Doctor, etsi concedit Christum hominem non exercuisse in hoc mundo potestatem principis temporalis, in fine tamen argumentationis dicit: „Christus etiam in quantum homo poterat, si voluisset, assumere dominium omnium rerum temporalium, et fieri rex vel imperator, quomodo magis ei placuisset"[112]. Ergo iuxta mentem Bellarmini, *quamvis Christus ut homo potestatem regis temporalis non exercuerit, tamen potuit fieri rex temporalis.* Potuit igitur assumere quoddam regnum temporale et regnare de facto cum exercitio regiae potestatis. Notandum est Bellarminum considerasse semper dominium vel regnum temporale eiusdem ordinis ac aliorum regum temporalium cum externo apparatu coniunctum, ideoque dicit „potuit", non „habuit". Si igitur Bellarminus dicit Christum ut hominem „non exercuisse", sed „potuisse" exercere, quoad rem eius sententiam de directa regia Christi potestate in temporalia intelligendam esse eandam ac aliorum nostri temporis theologorum: *Non exercuit, id est, in actu secundo, sed habuit potestatem in actu primo.*

Christi hominis dominium universale, — in quo fundatur ius seu potestas in omnia regna temporalia huius mundi, — non repugnat verae paupertati Christi. Paupertatem Christus elegit sua sponte pro tempore mortalitatis suae, „nam ipse idem Christus homo ratione dominii universalis ditissimus erat, ratione particularis, pauperrimus. Ipse idem vere *in propria venit*, ut dicit Joan. 1 (v. 11) quia Domini est terra et plenitudo eius, et simul vere *non erat ei locus in diversorio,* ut dicit Luc. 2 (v. 7) et *in alieno natus est,* ut dicit Gregorius[113] hom. 8 in Evangelia"[114]. Igitur Christus ut homo ratione dominii universalis ditissimus erat, ipse tamen sua sponte elegit particularem paupertatem tempore mortalitatis. Praeterea

---

[112] *Risposta... ad una lettera senza nome di autore...*, propos. II: „Ma doveva l'autore aggiungere. Che Cristo eziandio in quanto uomo, poteva se avesse voluto, pigliare il dominio delle cose temporali tutte, e farsi re o imperatore, come più gli fosse piaciuto".

[113] *Homil. VIII in Luc.* 2. ML. 76, 1104.

[114] *Recognitio librorum omnium*, in *De S. Pont.*, lib. 5, cap. 4.

Christus Dominus potuit semper, si voluisset, assumere dominia omnium hominum[115]. S. Doctor autem de Christo homine sic dicit: „Etiam existens sub lege, nonne poterat facile ditescere, si voluisset? Nonne turbae illum regem facere voluerunt? Cur ergo non habuit, ubi caput reclinaret, et sponte non habuit, si non amabat paupertatem?“[116]. Ergo sequitur Bellarminum Christi hominis dominium universale, quod vocat dominium simile divino, *quoad rem* aequali sensu intelligere ac theologos nostri temporis, — dominium universale in actu primo, non in actu secundo. Et quia Christus homo habuit tale dominium universale, eo ipso *habuit* in hoc dominio fundatum *ius seu potestatem semper fieri dives et rex temporalis* eiusdem ordinis ac alii reges huius mundi[117].

Ut iam diximus, Bellarminus hoc Christi ut hominis dominium universale vocat regnum s i m i l e d i v i n o. S. Doctor considerans regnum temporale eiusdem ordinis ac aliorum regum huius mundi *non vocat* Christi hominis dominium universale *regnum temporale.* En Bellarmini verba: „Neque regnum hoc temporale dici potest, quale est regum huius mundi, nam neque opibus, neque militibus, neque armis, neque arcibus, neque aliis eiusmodi praesidiis indiget, sine quibus regna temporalia conservari non possunt“[118]. Hoc Christi hominis regnum universale (simile divino) non tollit regna hominum, sed „illis praeest potestate quadam altiore, et sublimiore, quam sit potestas ullius regis, aut monarchae temporalis“[119].

Quia igitur Bellarminus consideravit regnum temporale eiusdem ordinis ac aliorum regum huius mundi, id est, regnum coniunctum cum externo apparatu, ideo Christo non attribuit ullum regnum temporale. Sic ipse dicit de tali regno temporali:

---

115 *Recognitio librorum omnium,* in *De S. Pont.,* lib. 5, cap. 4.

116 *De monachis,* cap. 45.

117 J a c o b G e m m e l S. I. adnotatio videtur non omnino recta: „Aber ein dominium actuale, auch ohne usus, dürften die zahlreichen Argumente Bellarmins von Christus ausschlieszen, der nach ihm nicht haben wollte, wohin er sein Haupt legen könnte (a u c h w e n n e r w o l l t e)“; cf. S c h o l a s t i k V, 1930, *Die Lehre des K. Bellarmin über Kirche und Staat,* pag. 360.

118 *Recognitio librorum omnium,* in *De S. Pont.,* lib. 5, c. 4.

119 *Ibid.*

„Regnum, quod proprie temporale dici debet, qualia sunt regna principum terrenorum, nos quidem in Scripturis, et in Patribus non invenimus; immo existimamus repugnare Christi paupertati, et sapere errorem judaeorum et haereticorum“[120]. Quamvis Christus non habuerit tale regnum temporale, tamen iuxta mentem Bellarmini Christus habuit potestatem universalem eminentem in temporalia, vi cuius potuit privare alios reges regnis temporalibus, et sic potuit habere regnum temporale. Sed quia Christus voluit humilitatis, paupertatis, patientiae, oboedientiae exemplum dare, quia ipsi regi omnium hominum et angelorum indignum erat, ut fieret quasi unus de regibus terrae, ideo Christus non privavit reges temporales regnis suis[121].

Itaque Bellarminus tribuendo Christo homini dominium universale et eminentem universalem potestatem disponendi de rebus temporalibus, *quoad rem habet eandem sententiam, quam hodie communiter theologi docent.* Quidam theologi Bellarmini coaevi, quorum sententia hodie communiter tenetur, tale Christi dominium universale, quod non tollit aliorum regum dominia ac regna particularia, vocant regnum Christi temporale. Tale dominium universale regnum vocatur temporale non ex titulo, sed *ex obiecto,* quia scilicet obiectum illius dominii sunt res naturales. Bellarminus autem negat hoc dominium universale apud Patres vocari regnum temporale aut terrenum. His verbis S. Doctor ostendit suam sententiam de dominio Christi universali esse eandem ac aliorum theologorum, etiamsi a Patribus tale dominium non vocatur regnum temporale aut terrenum: „Si ii, qui regnum temporale Christo tribuunt, per regnum temporale nihil aliud intelligant nisi dominium universale, quod non tollit particularia, et eminentem potestatem disponendi de rebus temporalibus, in sententia convenimus, et solum de verbis disceptamus. Et ego quidem libros veterum Patrum ea qua potui

---

120 *Recognitio librorum omnium,* in *De S. Pont.*, lib. *5*, cap. 4.

121 *Ibid.*: „Quod autem Christus non habuerit regnum temporale, non fuit in causa, quia non potuerit illud habere: sed quia indignum erat Christo, qui est rex angelorum, ut fieret quasi unus de regibus terrae, et sederet ad judicandas lites terrenas, ut sederunt Moyses, Melchisedech et David“.

diligentia evolvi, et legi non raro Patres negantes Christi regnum temporale aut terrenum; affirmantes autem idipsum non legi"[122].

Probata Christi ut hominis potestate universali in omnes res temporales necnon in principes terrenos facile explicatur S. Roberti Bellarmini assertio Christum hominem de iure non esse subiectum ulli potestati temporali et liberum a solvendis tributis principibus terrenis. Bellarminus enuntiat Christum etiam ut hominem non fuisse subiectum de iure ulli potestati temporali, sed ipsum de facto sua sponte se subiecisse Pilato. Potestas igitur illa desuper data, quam in Pilato Christus agnoscit (Ioan. 19, 11), non potestas iudiciaria, sed permissio intelligenda est. *Ratio*, cur Christus ut homo de iure subiectus non fuerit ulli potestati, *est eius filiatio divina propter unionem hypostaticam*[123]. Propter eandem rationem, quia Christus etiam ut homo non erat persona humana, sed divina, nec erat filius adoptivus, sed Filius Dei naturalis, Christus homo *non debuit* solvere tributum principibus terrenis. Christus tributum solvit propterea solum, quod voluit et, ne scandalizet exactores tributorum (Mt. 17, 23—26)[124]. Itaque Bellarmini doc-

---

[122] *Recognitio librorum omnium*, in *De S. Pont.*, lib. 5, c. 4.

[123] *Auctarium Bellarminianum*, pag. 590: „...quia Christus, etiam ut homo, erat caput non solum omnium hominum, sed etiam angelorum propter unionem hypostaticam, ac per hoc omnibus praelatus, nulli subditus de jure. Et hoc Scriptura passim affirmat, ut Coloss. 1 (v. 18): *Ut sit ipse in omnibus primatum tenens*, et Joan. 13 (v. 3): *Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus*". — *De S. Pont.*, lib. 2, c. 19: „Respondeo: Christum sine dubio non fuisse subiectum de jure ulli homini, cum esset Deus ac Dei Filius..." — Cf. etiam *De clericis*, cap. 30; *De exemptione clericorum*, cap. 3; *Recognitio libr. omnium*, in *De S. Pont.*, lib. 5, c. 4 (cf. Thes. Cap. quartum, 2); J. Gemmel S. I., *op. cit.*, Scholastik V, 1930, pag. 361.

[124] *De clericis*, cap. 28. — *Risposta... ad una lettera senza nome di autore...*, in *Opera omnia*, ed. Neap., IV 2, pag. 486: „La verità che Cristo eziandio come uomo, ed anco gli Apostoli non erano obbligati a pagare quel tributo; perchè Cristo come uomo, non era persona umana, ma divina, nè era figliuolo adottivo, ma naturale di Dio, che è re sopra tutti i re, e però non era obbligato pagare il tributo a nessun re". — Cf. *Tractatus de potestate S. Pont. in rebus temp.*, c. 3 (Cf. Thes. Cap. primum, II, b, nota 59); *De exemptione clericorum*, cap. 1; *De laicis*, cap. 3.

trina de potestate universali in res temporales bene cohaeret cum illa sententia: Christum de iure non fuisse subiectum ulli potestati temporali; immo haec posterior *negative* provenit e potestate Christi universali. Etenim cum Christus ut homo propter filiationem divinam habuerit potestatem universalem in res temporales, sequitur ex hac potestate universali negative Ipsum propter eandem rationem non potuisse de iure subiectum esse ulli potestati temporali.

Nunc veniamus ad conclusionem S. Doctoris sententiae de Christi ut hominis potestate in res temporales. Explicata Bellarmini doctrina de directa Christi ut hominis regia potestate in temporalia, dicendum est S. Doctorem negasse talem potestatem in libro quinto *De Summo Pontifice,* sed non negasse in aliis suis scriptis, praesertim posterioribus. In libro quinto *De Summo Pontifice* Bellarminus intendens animum ad probandam sententiam Papam non habuisse regnum temporale atque directam potestatem in temporalia, consideravit regnum temporale humano titulo acquisitum, quomodo ipsi tota quaestio proposita erat. Hoc sub respectu considerans quaestionem Bellarminus negavit Christo ut homini quoddam regnum temporale ac dominium omnium rerum; ipse negavit non solum exercitium potestatis in temporalia, sed etiam ius regni temporalis. Tamen etiam in libro quinto *De Summo Pontifice* Bellarminus docuit Christum ut hominem (seu Christum hominem qua hominem) „potuisse, si voluisset" accipere potestatem regni temporalis. Bellarminus igitur in hoc libro tribuit Christo homini nonnisi quoddam dominium potentiale; nullo modo dominium aut regnum actuale, etiam sine usu. In libro quinto capite quarto *De Summo Pontifice* Bellarminus non explicavit, quo titulo Christus ut homo „potuisset si voluisset" accipere potestatem temporalem; proinde eius sententia in hoc capite est obscura.

Cum S. Roberto Bellarmino quaestio proposita est, utrum Christus ut homo habuisset quoddam dominium universale non titulo humano, sed ratione unionis hypostaticae, tunc ipse in aliis suis scriptis tribuit Christo homini dominium ac regnum u n i v e r s a l e — „simile dominio divino". Tamen Bellarminus

hoc dominium aut regnum universale non vocat regnum temporale, quia ipse semper consideravit regnum temporale eiusdem ordinis ac aliorum regum huius mundi, praeterea quia Patres Christi regnum non vocant temporale aut terrenum. Secundum nostrum Doctorem in Christi ut hominis dominio universali fundatur ius seu potestas quaedam eminentissima universalis, vi cuius Christus potuit assumere omnia regna temporalia aliorum regum huius mundi. Sed Christus hanc potestatem in temporalia propter finem sui adventus spiritualem non exercuit, quamvis potuerit assumere sibi omnia regna temporalia, id est, eam potestatem exercere. Praeterea iuxta mentem Bellarmini Christus ut homo, quia est rex universalis rerum temporalium, de iure non subiectus est ulli potestati temporali. Ergo quoad rem Bellarmini sententia de directa Christi ut hominis potestate in res temporales non differt ab hodierna doctrina. Christus ut homo habuit potestatem universalem in res temporales, sed eam non exercuit; id est, Christus habuit ius seu potestatem in actu primo, sed eam potestatem in actu secundo non exercuit.

Itaque restat ut mens S. Roberti Bellarmini de Christi ut hominis potestate in res temporales synthetice sic exprimi possit:

a) Christus ut homo nullo modo est rex temporalis rerum temporalium, sed rex universalis rerum temporalium; — Christus ut homo nullo modo habuit potestatem temporalem in res temporales, sed universalem in res temporales.

b) Ex hac potestate universali provenit: *negative*, quod Christus de iure non subiectus est ulli potestati temporali; *positive*, quod potestatem temporalem assumere potuisset si voluisset: et quidem de potestate absoluta, non de potestate ordinata.

c) Potestas universalis radicatur in unione hypostatica, quia unione illa Christus, ut hic homo, est Filius Dei.

Ultimo notandum est S. Roberti Bellarmini sententiam de regia Christi potestate numquam oppositam fuisse decisioni Pii PP. XI in Litteris Encyclicis „Quas primas". Litterae Encyclicae „Quas primas" enim quaestionem de regia Christi potestate

considerant quodam generali respectu, ostendendo Christum seu Salvatorem illum, qui subsistit in natura tum divina tum humana, esse regem absolute in quovis ordine, temporali et spirituali. Bellarminus autem considerans Christum, hunc hominem, id est, ratione personae, semper tribuit ipsi omnem potestatem et dominium omnium rerum. Et si sumitur summa eius doctrinae de regia Christi potestate in res temporales, ut supra vidimus, S. Doctor tribuit Christi humanitati seu humanae naturae (Christo homini qua homini) ex titulo hypostaticae unionis quoddam universale dominium et eminentem ac universalem potestatem disponendi directe de rebus temporalibus.

CAPUT QUARTUM

DE REGIA CHRISTI POTESTATE IN REGNO SUO GLORIOSO

S. Robertus Bellarminus Christi regnum gloriosum sic definit: „Regnum gloriae, quod in perfecta corporis et animae beatitudine et felicitate consistit, ex qua sequitur exemptio, et libertas ab omni subiectione creaturarum, et potestas, seu potestatis exequutio super omnes creaturas"[1]. Fere tota Bellarmini doctrina de regno Christi glorioso ac de potestate eius in hoc regno habetur in *Recognitione* libri quinti capitis quarti *De Summo Pontifice*. Haec tamen eius doctrina proposita explicite in dicta *Recognitione* explicanda est collatis etiam aliis locis.

1. **De tempore ac modo, quo Christus regnum gloriosum accepit**

Christus accepit regnum gloriosum in resurrectione et ascensione. Regnum gloriosum tamen Christo destinatum est ab initio conceptionis[2]. Hoc regnum enim, quod attinet ad beatitudinem animae, Christus habuit de facto ab initio conceptionis suae. Quantum ad corpus autem regnum gloriosum Christus non habuit in hac terra de facto, sed tantum de iure. Post resurrectionem Christus habet etiam quoad corpus de facto regnum gloriosum[3]. Igitur Christus accepit integre regnum gloriosum de facto post resurrectionem. „Sicut enim David, qui

---

[1] *Recognitio librorum omnium*, in *De S. Pont.*, lib. 5, c. 4.
[2] *Ibid.*
[3] *De septem verbis a Christo in cruce prolatis*, lib. 1, c. 4.

figura Christi fuit, in pueritia rex inunctus est a Samuele, et tamen regni possessionem, nonnisi post multos labores obtinuit: sic etiam Christus ab initio conceptionis Dominus gloriae esse coepit: sed tamen oportuit Christum pati, et ita intrare in gloriam suam (Luc. 24, 26)"[4].

Bellarminus probat Christum accepisse per *passionem* regnum gloriosum ut sibi debitum et proprium. „Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam accipere sibi regnum, et reverti" (Luc. 19, 12). His verbis loquitur de passione Christi, per quam abiturus erat accipere sibi regnum gloriosum, et reversurus tandem in die ultimi iudicii[5]. Dicitur „accipere" sibi regnum, non „acquirere quasi alienum, sed accipere suum". Bonus latro igitur sapienter dixit Christum venturum esse in regnum suum: „Cum veneris in regnum tuum" (Luc. 23, 42)[6].

De regno Christi glorioso intelligenda sunt etiam illa *S. Scripturae* varba: „Sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant regnum Dei veniens in virtute" (Mrc. 8, 39). Post haec verba describitur transfiguratio Domini (Mrc. 9, 1 sq.), in qua tres apostoli viderunt gloriam claritatis Christi, quam regnum Dei paulo ante nominaverat. De regno suo glorioso quoque Christus Dominus agit, cum dicit: „... non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat" (Luc. 22, 18)[7].

2. **De potestate Christi in regno glorioso**

In regno glorioso Christus habet omnem potestatem. Ibi Christus sedet a dextris Patris. „Sedere" autem, ut notat S. Joannes Chrysostomus[8], convenit aequali, et ideo Filius sedet ad dexteram Patris, ut aequalis[9]. „Dextera" igitur intelligitur ita, ut „sumatur simpliciter pro latere, id est, pro

---

[4] *Recognitio librorum omnium*, in *De S. Pont.*, lib. 5, c. 4.
[5] *Ibid.*
[6] *De septem verbis a Christo in cruce prolatis*, lib. 1, c. 4.
[7] *Recognitio librorum omnium*, in *De S. Pont.*, lib. 5, c. 4.
[8] *Expositio in Ps.* 44. MG. 55, 199.
[9] *Explanatio in Psalmos*, 44, 11

loco aequali, non superiore, vel inferiore"[10]. Praeterea sessio quietem et auctoritatem seu potestatem praecipue regiam denotat; „haec autem Christi sessio est ineffabilis quies et summa regia potestas". Ergo Christus sedens a dextris Patris habet *aequalem* Deo Patri regiam potestatem super omnes creaturas[11]. Itaque Christus „pari potentia et honore regnat, iudicat et gubernat omnia cum ipso Patre"[12]. Hanc aequalem cum Deo Patre potestatem super omnes creaturas Christus semper habuit ratione divinae naturae, sed ad eandem potestatem elevatus est ratione naturae humanae post humiliationem usque ad mortem crucis; sic enim loquitur S. Paulus: „Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur caelestium, terrestrium, et infernorum, et omnis lingua confiteatur quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris" (Phil. 2, 9—11)[13].

Ad mentem Bellarmini igitur Christus ut homo in regno glorioso habet summam potestatem aequalem Deo Patri in omnes creaturas. Etenim „sedere in certo loco, non divinitati, sed corpori convenit"[14]. Igitur per sessionem ad dexteram Patris attribuenda est ipsi humanitati Christi seu humanae naturae potestas aequalis potestati Dei Patris. Christi tamen humanitati attribuenda est haec potestas non ex *propria* dignitate, sed ex *unione personae* divinae. Humanitas enim Christi, id est, caro sua et anima sua sedent „a dextris Patris non per dignitatem propriam, sed quia sunt unitae personae veri et naturalis Filii Dei"[15].

Se etiam in quantum hominem post resurrectionem habere amplissimam potestatem profitetur ipse Dominus: „Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra" (Mt. 22, 18). Post resurrectionem „datum est Christo homini, ut non amplius subiectus esset ulli creaturae, non solum de jure, quomodo num-

---

10 *De Christo Capite*, lib. 3, c. 15.
11 *Explanatio in Psalmos*, 109, 1.
12 *De Christo Capite*, lib. 3, c. 15.
13 *Explanatio in Psalmos*, 109, 1.
14 *De Sacramento Eucharistiae*, lib. 2, c. 11.
15 *Dichiarazione più copiosa della dottrina cristiana*, art. 6.

quam fuit, sed neque de facto, id est, neque hominibus, neque siti, neque laboribus, aut doloribus, aut ipsi morti: sed contra omnibus omnino dominaretur: *In hoc*, inquit Apostolus Rom. 14 (v. 9), *Christus mortuus est et resurrexit, ut et vivorum et mortuorum dominetur*"[16]. Christus igitur etiam in quantum homo post resurrectionem nulli potestati nec de iure nec de facto subiectus est, sed omnibus praeest, et totum mundum gubernat, quia est „Primogenitus mortuorum, et princeps regum terrae" (Apoc. 1, 5) et „Rex regum, et Dominus dominantium" (Apoc. 19, 16)[17].

De summa Christi potestate in regno suo glorioso intelligenda sunt haec Danielis Prophetae verba: „Aspiciebam ergo in visione noctis, et ecce cum nubibus caeli quasi Filius hominis veniebat, et usque ad antiquum dierum pervenit. Et in conspectu eius obtulerunt eum; et dedit ei potestatem, et honorem, et regnum; et omnes populi, tribus, et linguae ipsi servient: potestas eius, potestas aeterna, quae non auferetur, et regnum eius, quod non corrumpetur" (Dan. 7, 13—14). Quae Danielis verba etiam S. Cyprianus[18] explicat de summa et aeterna Christi Regis potestate: „Quod cum resurrexisset, acciperet a Patre omnem potestatem, ac potestas eius aeterna sit apud Danielem. Videbam in visu nocte, et ecce in nubibus caeli quasi filius hominis veniens, venit usque ad veterum dierum, et stetit in conspectu eius, et qui assistebant ei obtulerunt eum, et data est ei potestas regia, et omnes reges terrae per genus, et omnis claritas serviens ei, et potestas eius aeterna, quae non auferetur, et regnum eius non corrumpetur"[19].

Christus igitur in regno glorioso etiam secundum naturam humanam habet omnes creaturas sibi subiectas. Ipse enim „ascendit in caelum, et naturam nostram personae suae indissolubiliter unitam evexit supra omnes caelos, super omnes angelos,

---

16 *Recognitio librorum omnium*, in *De S. Pont.*, lib. 5, c. 4.

17 *Risposta... ad una lettera senza nome di autore*, propos. II; cf. *Explanatio in Psalmos*, 96, 1. — Vide etiam thes. pag. 105—106.

18 *Adversus Judaeos*, lib. 2, cap. 26. ML. 4, 717.

19 Cf. *Recognitio librorum omnium*, in *De S. Pont.*, lib. 5, c. 4.

et super omnes creaturas"[20]. Quare S. Petrus de Christo dicit: „Profectus in caelum, subiectis sibi angelis, et potestatibus, et virtutibus" (1 Petr. 3. 22)[21].

3. Regnum Christi gloriosum in resurrectione inchoatum perficietur in die novissimi iudicii

Christi regnum inchoatum in resurrectione sua „nunc est invisibile, et sola fide percipitur, sed in die iudicii visibile fiet"[22]. Ipse Christus Dominus enim dicit: „Amodo videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, et venientem in nubibus caeli" (Mt. 26, 64). S. Paulus etiam dicit Christum venturum esse ad iudicium, quod fiet visibiliter: „Testificor coram Deo et Jesu Christo, qui iudicaturus est vivos et mortuos, per adventum ipsius et regnum eius" (2 Tim. 4, 1)[23].

Cum a mortuis resurrexit, inchoata est gloria Christi regni in ipso capite nostro Christo[24]. Beatitudo aeterna inchoata est „in animabus iustis a Christi morte, qui moriens latroni dixit, *Hodie mecum eris in paradiso*" (Luc. 23, 43)[25]. Beatitudo tamen aeterna in iustis „complebitur in die novissimo, quando beati spiritus recipient gloriosa corpora, et a Rege Gloriae audient, *Venite, benedicti, possidete paratum vobis regnum*"[26].

Ante novissimum iudicium possunt inimici Christi tum daemones tum homines impii agere contra Christum, resistere ei. In novissimo die autem „tolletur omnis potestas daemonum et hominum impiorum"[27]. In novissimo iudicio subiectis omnibus inimicis sub scabellum pedum Christi, sublato omni principatu et potestate, „solus regnabit Deus, nullo amplius resistente vel rebellante"[28]. Tunc Christus Deus pacifice regnabit cum Patre

---

[20] *Explanatio in Psalmos*, 46, 5.
[21] *Recognitio librorum omnium*, in *De S. Pont.*, lib. 5, c. 4.
[22] *Ibid.*
[23] *Ibid.*
[24] *De S. Pontifice*, lib. 5, c. 4.
[25] *De gemitu columbae*, lib. 2, c. 10.
[26] *Ibid.*
[27] *De bonis operibus in particulari*, lib. 1, c. 6.
[28] *Explanatio in Psalmos*, 45, 8.

et Spiritu Sancto per omnem aeternitatem[29]. Rex Ecclesiae Christus ut homo etiam permanebit sedendo in aeternum in conspectu Dei, „ut intelligamus Christum permanere sedendo, ut decet Regem, non assistendo more ministrorum“[30].

4. De sanctorum regia potestate in caelo

Bellarminus docet constanter sanctos in caelo regnare cum Christo: „...sanctis in caelo cum Christo regnantibus,...“[31]; — „...sanctos, qui cum Christo regnant“[32]; — „...sanctorum defunctorum animae cum Christo regnantes...“[33]; — „Regnabit Dominus cum sanctis suis in saecula“[34].

Ad mentem Bellarmini ante resurrectionem mortuorum non solum ab angelis, sed etiam ab animabus beatorum hominum regnantibus cum Christo reguntur et gubernantur fideles viventes. Id enim sanctis promisit Christus: „Et qui vicerit, et custodierit usque in finem opera mea, dabo illi potestatem super gentes. Et reget eas in virga ferrea, et tamquam vas figuli confringentur, sicut et ego accepi a Patre meo“ (Apoc, 2. 26—28). „Habemus igitur spiritus hominum beatorum post mortem ante diem resurrectionis accipere potestatem in gentes, et regere, et pascere eas“[35]. Praeterea Christus dixit: „Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei“ (Apoc. 3, 12). Igitur sancti sunt columnae in templo Dei, id est, sustentant Ecclesiam, quod proprie sanctis martyribus convenit, prout docet S. Joannes Chrysostomus[36]. Demum promittitur sanctis sessio in throno Christi ita, ut cum Christo sancti praesideant toti mundo et Ecclesiam regant atque gubernent. Etenim: „Qui vicerit, dabo

---

[29] *Explanatio in Psalmos*, 81, 8.
[30] *Explanatio in Psalmos*, 60, 7.
[31] *Apologia... pro responsione sua ad librum Jacobi...*, cap. 8.
[32] *De Ecclesia quae est in purgatorio*, lib. 1, c. 8.
[33] *De Ecclesia quae est in purgatorio*, lib. 2, c. 15.
[34] *Explanatio in Psalmos*, 145, 9.
[35] *De Ecclesia triumphante*, lib. 1, c. 18.
[36] Cf. *Hom. in SS. Martyres Juventinum et Maximinum*. MG. 50, 576; cf. *De Ecclesia triumphante*, lib. 1, c. 18.

ei sedere mecum in throno meo; sicut et ego vici, et sedi cum Patre meo in throno eius" (Apoc. 3, 21)[37].

In die novissimo Christus dabit suis electis *summam gloriam*, igitur plenam beatitudinem post resurrectionem mortuorum. De illa plena sanctorum gloria loquitur S. Paulus his verbis: „...salvatorem expectamus Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostrae, configuratum corpori claritatis suae" (Phil. 3, 20—21); — „Nam expectatio creaturae revelationem filiorum Dei expectat" (Rom. 8, 19); — „Cum Christus apparuerit, vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria" (Col. 3, 4)[38].

In die novissimo, in resurrectione universali „sancti cum Christo sedebunt iudices mundi"[39]. Christus enim promisit sanctis potestatem *iudicandi* impios: „Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede maiestatis suae, sedebitis et vos super duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel" (Mt. 19, 28)[40]. In die novissimo igitur sancti „iudices erunt impiorum, eisque in aeternum dominabuntur"[41]. Bellarminus docet omnes sanctos iudicaturos esse mundum et principes eius: „Gloria haec sedendi cum Christo in nubibus et iudicandi mundum et principes eius, erit omnibus sanctis eius". Quamvis Beda Venerabilis[42] dicat in novissimo iudicio „duos ordines futuros electorum; unum iudicantium cum Christo, alterum misericorditer iudicandorum; tamen illi qui misericorditer iudicati fuerint, postea etiam iudicabunt cum Christo persecutores suos"[43]. Hanc potestatem sanctorum iudiciariam, sicut eorum potestatem regiam dependere a Christo: „...omnis sanctorum potestas regia et iudiciaria a Christo dependet"[44].

---

37 *De Ecclesia triumphante*, lib. 1, c. 18.

38 *Recognitio librorum omnium*, in *De S. Pont.*, lib. 5, c. 4.

39 *Explanatio in Psalmos*, 1, 6.

40 *Recognitio librorum omnium*, in *De S. Pont.*, lib. 5, c. 4. — Cf. *Explanatio in Psalmos*, 121, 5.

41 *Explanatio in Psalmos*, 48, 15.

42 Cf. *Sermo de S. Benedicto*. ML. 94, 225.

43 *Explanatio in Psalmos*, 149, 9.

44 *Explanatio in Psalmos*, 121, 5.

5. Christi potestas amplissima in regno glorioso non repugnat paupertati eius, neque dici potest regnum gloriosum esse temporale

Potestas illa amplissima, qua Christus gubernat totum mundum, *nullo modo repugnat paupertati* eius, quia paupertas Christi non erat duratura, nisi pro tempore mortalitatis[45].

Bellarminus arbitratur Christi regnum gloriosum ac eius potestatem illam amplissimam *non esse proprie regnum temporale,* „qualia sunt nostrorum regum"[46]. Christi regnum gloriosum igitur non est eiusdem ordinis regnum ac aliorum regum huius mundi; regnum autem gloriosum est regnum alterius rationis et eminentius omni regno temporali. Christi potestas in regno glorioso est supra omnes res temporales[47]. Praeterea hoc Christi regnum non potest dici temporale, quia ipsum in aeternum permanebit, dum regna temporalia destruentur, ut praedictum est a Daniele Propheta Regnum Christi consumpturum omnia regna, et ipsum mansurum in aeternum (Dan. 2, 44)[48]. Tandem S. Doctor addit regnum gloriosum atque potestatem amplissimam in hoc regno non „posse pontifici communicari, quia praesupponit resurrectionem"[49].

---

45 *Recognitio librorum omnium,* in *De S. Pont.*, lib. 5, c. 4.

46 *De S. Pontifice*, lib. 5, c. 4.

47 *Recognitio librorum omnium,* in *De S. Pont.*, lib. 5, c. 4. — Cf. *Risposta... ad una lettera senza nome di autore...*, propos. II.

48 *Recognitio librorum omnium,* in *De S. Pont.*, lib. 5, c. 4. — Cf. *Explanatio in Psalmos,* 45, 6.

49 *De S. Pontifice*, lib. 5, c. 4.

CONCLUSIO

Explicavimus quam proxime ad verba S. Roberti Bellarmini accedentes — inquantum id facere potuimus — quid S. Doctor docuerit de Christi regno atque potestate eius. In controversia de potestate Romani Pontificis Bellarminus speciali quodam modo vindicat Christo potestatem s p i r i t u a l e m in suo regno condito, id est, in Ecclesia. Bellarminus vindicat Christo etiam in infideles et spiritus omnes potestatem spiritualem, vi cuius Christus potuit disponere de rebus temporalibus (potestas i n d i r e c t a). Christo ut Deo, qui creavit totum mundum, Bellarminus agnovit constanter sine ulla ambiguitate regnum universale divinum atque directam potestatem in temporalia. Attamen in hoc studio praesertim conati sumus explicare, quid Bellarminus senserit atque docuerit de directa Christi ut hominis (seu Christi hominis qua hominis) potestate in res temporales. Ad hanc quaestionem solvendam non fuisset inutile investigare doctrinam illorum theologorum, quos Bellarminus trahit in suam sententiam in libro quinto capite quarto *De Summo Pontifice.* Sed etiam sine investigatione doctrinae illorum theologorum pervenimus ad persuasionem Bellarminum in libro quinto *De Summo Pontifice* saltem verbis negasse Christo ut homini potestatem in temporalia. (Dicto loco Bellarmini sententia est obscura). — Si sumimus tamen summam eius doctrinae de regia Christi potestate, ipse attribuit Christo ut homini (seu Christo homini qua homini; ipsi humanitati Christi) ratione unionis hypostaticae, quia unione illa Christus, ut hic homo, est Filius Dei, quoddam dominium universale simile dominio divino et eminentem ac u n i v e r s a l e m potestatem in res temporales. Quomodocumque autem hoc dominium omnium rerum vocetur: regnum universale, transcendens regna temporalia, aut aliquo alio nomine, semper tamen *quoad rem* Bellarmini doctrina

manet eadem, quae hodie communiter a theologis tenetur:—Christus ut homo habuit regnum universale atque potestatem universalem in res temporales (*Bellarmini sententia*) vel Christus ut homo habuit regnum temporale in actu primo (*Hodierna communis theologorum sententia*). — Post resurrectionem Christi ipse etiam ut homo regnat cum sanctis in caelo et gubernat totum mundum. Concludo verbis ipsius S. Doctoris: „sublato omni principatu et potestate, tu solus [Christus Deus post novissimum iudicium] pacifice cum Patre et Spiritu Sancto regnabis per omnem aeternitatem“[50].

O. A. M. D. G.

---

[50] *Explanatio in Psalmos*, 81, 8.

INDEX NOMINUM

CORRIGENDA

Pag. 10	linea 21	loco	maxnificentiam	lege	magnificentiam
„ 11	„ 25	„	homnibus	„	hominibus
„ 25	nota 82 lin. 3	„	homnibus	„	hominibus
„ 27	lin. 7 et n. 91	„	Egesippus	„	Hegesippus
„ 29	„ 1	„	indicet	„	iudicet
„ 32	„ 12	„	subiecti potestati	„	subiecti Christi potestati
„ 35	„ 21	„	abudantissima	„	abundantissima
„ 57	„ 6	„	Theophilactus	„	Theophylactus
„ 59	nota 100 lin. 2	„	Bellariminianum	„	Bellarminianum
„ 73	lin. 6	„	Caristum	„	Christum